





chi l'a pi 'd fil farà pi 'd teila

Ex libris


LUIGI FIRPO



RESPUBLICA et STATUS Regni HUNGARIÆ.



Ex officina ELZEVIRIANA.
Cum. cIↄ.Iↄc.XXXIV. Privilegio.




LECTORI S.

POst Germaniam absolutam, Candide Lector, Descriptionem, Historiam, & Statum Regni Hungarici nunc damus. Quæ tria in ejusmodi operibus necessario conjungenda putamus. Repetere enim non libet, quam frugifera quamque salubris sit cognitio rerum, cujus eximia quidem pars commemoratio tum antiquitatis, tum recentiorum sæculorum, hoc est, memoria temporum, locorum, hominum, rerum gestarum. Rerum autem quæ hic dicuntur, veritatem aliorũ autorum fide præstamus. Laborem ergo hunc nostrum acceptum omnibus futurũ non dubitamus. Brevi, si vitam nobis Deus & otium fecerit, accuratissimam REGNI BOHEMICI *descriptionem procudemus, ne quid hîc amplius desiderent harum rerum studiosi.*


QVERELA HUNGARIÆ DE Populationibus Turcarum.

QVo mea majestas? quo cessit gloria? quo me
Detrusit fatum, & sævi horrida numinis ira?
Quæ regina prius totum celebrata per orbem,
Victricique manu natorum septa potentum
Incedebam, eadem nunc heu solioque soloque
Et sobole avulsa, quam partim sustulit ensis,
Partim triste jugum premit, afflictissima linquor,
Cur non posse queri saltem licet? an quoque fatis,
Cautum ne liceat casus lugere nefandos?



CONTENTA hujus OPERIS.

I. De-



I.

DESCRIPTIO HUNGARIÆ.

DE Hungariæ ſitu acturi commodũ exiſtimavimus de Trãſylvania univerſa, ejuſque limitibus & terminis nonnulla præmittere, ut cetera melius intelligantur.

Tranſylvania quondam bellipotens regio, Divorum olim Imperatorum Romanorum provincia inclyta, Dacia appellata, plagæ Orientali expoſita, & Marte multi nominis fuit temporibus Nervæ Traiani, quam Decebalus Rex tam armis, quam pecunia belli nervo, pertinaciſſime ſub imperio retinuit. Eutrop. lib. 8. in Aurelii vita: Provinciam, inquit, Daciam, quam Traianus ultra Danubiũ fecerat, intermiſit, appellavitque eam Daciam, quæ nunc duas dividit Mœſias, & eſt in dextra, Danubio in mare fluenti, cum antea fuerit in læva. Decebalus itaque ejuſdem regionis Rex ſeu Monarcha cum Vlpio Traiano Romano Cæ-

ſare conflixit, ingenti hoſtis edita clade. Trajanus autem veſti propriæ non pepercisse fertur, quam in partes conſciſſam ſuis partitus eſt militibus. Deindè jugum ex jugo captans, ad Dacorum regiam evaſit, perculſus Decebalus ad Trajanum deductus. His confectis Trajanus in Italiam rediens, Romam ingreſſus, & triumphans de Dacia, Dacicus appellari cœpit. Interea tamen denunciatur, Decebalum præter conventiones & fœdera, quæ cum Trajano interceſſerant, multa ad rebellionem parare, caſtellaque & arces dirutas reſtaurare, ob hoc hoſtis à Senatu judicatus eſt, bellumque Trajanus ſuſcepit. Plin. de Dacorum expulſione meminit lib. IV. cap. XII. Quare cum Decebalus viribus ſuis non ſatis fideret, dolis & fraudibus agere enitens, in Mœſiam delectos mittit profugos, qui diſſimulata fide, Trajanum per occultas inſidias tollerent, aut confoderent, deprehenſi ultimo ſupplicio affecti ſunt. Hinc milites Romani in hujus rei geſtæ memoriam, tale Epigramma edidere in Pannonia:

VBI ERAS RAMNVSIA, VBI ERAS, QVANTVM ABFVIT, NE ROMA LVGERET, SED VIVIT TRAIANVS.

Sub hac expeditione Trajanus pontem in Iſtro lapideum conſtruxit, quo libe-

rius & expeditius hostes aggredi posset, opus sane mirandum, & memoria dignum. Huic xx. stabant ex quadrato lapide pylæ, quarum altitudo centum & quinquaginta, præter fundamenta: latitudo vero sexaginta pedes continebat: distabant autem inter se centum octuaginta passibus, fornicibus vero conjungebantur. Ejus pontis inscriptio talis erat.

PROVIDENTIA AVGVSTI. VERE PONTIFICIS VIRTVS ROMANA, QVID NON DOMET? SVB IVGVM ECCE RAPITVR ET DANVBIVS.

Cæterum Adrianus Imperator, Trajani successor, veritus ne pulso Romano præsidio, aut oppressis legionibus, feræ & indomitæ gentes facto aditu, ea loca invaderent, quæ cis Danubium sunt, structuras & fornices, quæ super aquam eminebant, demoliri jussit. At Decebalus capta (ut diximus) regia, cum omnis regio in potestatem Romani Imperii venisset, usque ad captivitatem periclitatus, necem sibi conscivit, cujus caput tandem Romam delatum fuit, sicque Dacia juris Romani facta est, quam mox Trajanus in provinciam redegit. Cujus rei argumento milites Romani hos versiculos perpetuo monumento celebres decantabant:

NONNE TIBI DIXI DECEBALE? FVNE-

STVM EST HERCVLEM LACESSERE. NON RECTE FACIS, TVA ISPE QVOD IACES MANV: SED TE VTCVNQVE CAESAR VICIT, TVLIT TIBI SEMPER AVGVR AVGVSTALIS.

Quare Trajanus Dacia ſubacta, Regiam Zarmiis civitatem, quæ nunc Alba Iulia appellatur, ingreſſus, quæſitis Decebali theſauris, ſub Sargetiæ amne reconditis, cujuſdam Biculi Romani captivi indicio reperti ſunt: Vnde tandem Trajanus in ſignum memoriæ illius hoc ſtatuerat Epigramma:

IOVI INVENTORI, DITI PATRI, TERRAE MATRI, DETECTIS DACIAE THESAVRIS, DIVUS NERVA TRAIANVS VOTVM SOLVIT.

Monumentum Vlpii Nervæ Trajani in Colonia Zarmiiz, non multis ante annis ex terræ viſceribus erutum, memoria dignum.

IOVI SATORI, HERCVLI VICTORI, M. VLP. NERVA TRAIANVS CAESAR, VICTO DECEBALO, DOMITA DACIA, VOTVM SOLVIT.

Hinc ingens Trajani animus deprehenditur, qui multa præter hæc præclara & egregia facinora geſſit, quemadmodum Dion ille Cretenſis in Trajani vita plurima memoratu digna, non ineleganti deſcriptione complexus eſt.

Huic

Huic regioni Transylvaniæ, à Septentrionali plaga Moldavica provincia (quæ Poloniæ regno, atque Russiæ inferiori, & Ciculiæ metis, est contigua) adhæret: Ex altero vero latere ad Orientem Valachia jacet, quæ alio nomine Transalpina dicitur, non multo terrarum spatio ab alpibus insigni altitudine intercedentibus, sejuncta.

Vt autem paulisper ad lucidiorē istius Transylvaniæ provinciæ cognitionem per Chorographicam descriptionem progrediamur: Eadem provincia in tres dividitur nationes, suis inter se ritibus, moribus, consuetudinibus, & legibus aliquantulum dissidentes, ipsamque regionem distinctis terrarum locis incolentes: utpote, Ciculos, & Hungaros. Inter quos ipsi quoque Valachi ejusdem provinciæ incolæ, in quibusdam desertis possessionibus & villis residēt, genus hominum durissimum, nec nisi armentis & pecoribus, plerunque etiam furtivo pecorum & equorum abigeatu se alentes. Hi more suo, pilosis seu hirsutis ex lana caprina contextis, suaque manu elaboratis amiciuntur vestibus, nullis penitus legibus humanis obsequentes.

In primis Saxonicus iste populus in eum locum è Germania (ut ajunt) deductus,

ctus, agriculturæ ſtudioſus, & ruſticæ rei addictiſſimus, qui natura ſua lingua utitur Saxonica. Sermo autem Saxonicus ad communem Germanicam Colonienſium linguam multo propius accedit, quam ad alias linguas, & à Suevo atque Helvetio non ita facile intelligitur, quam pleræque Septentrionales in Germania. Tranſylvani igitur, ſicuti cæteræ omnes nationes Germanicæ, habent peculiarem linguæ dialectum. Et, ut hoc addam, quod aliis nationibus, tam morum facilitate, quam pietate & religione longe præſtat.

Ciculia Daciæ angulus, Moldaviæ regioni contiguus, ejus terræ populi dicuntur Ciculi, Scytharum (ut ajunt) genus, à quo originem traxere, ſuis vivunt legibus & moribus, ſuaque officia ſorte diſtribuunt. Nemo apud illos ignobilis eſſe cenſetur, etiam ſi manu aratrum tractet, aut caprino gregi præſit. Durum enim & aſperum genus hominum, quaſi bello natum, qui moribus, ſermone, & veſtitu non multum ab Hungaris diſcrepare videntur. Hi ſunt Hunnorum antiquiſſimi, quos Ciculos appellare malunt quidam, quod è Scythis originem trahant: Nec enim aliud ſenſiſſe videtur ille, qui dixit.

Atq; pharetrati Scythicis de finibus Hunni.

Ciculi

Ciculi autem in ſeptem ſunt diviſi regiones, quas ipſi ſedes vocant, quarum nomina ſunt: Sepſi, Orbai, Kyſdi, Czijk, Gyrgio, Marcus Zeek, Aranyas Zeek, Hungarico ſermone appellatas, cæteris Ciculorum oppidis præſtantiores. De quorum ritibus & conſuetudinibus in præcedētibus annotationibus plura ſcripſimus.

Czijk oppidum in Septentrionali latere à Kyſdi ad lævam, atque adeo in ipſis Carpathi radicibus ſitum: Huic contigua eſt Gyrgio ab occaſu in ejuſdem Carpathi montis radicibus terra montoſa & aſpera, in ultimo Tranſylvaniæ latere Septentrionali. Sedi autem Gyrgio contigua eſt Marcus Zeek, ad Meridiem in viſceribus Tranſylvaniæ provinciæ, ad decurſum Mariſi fluvii exiſtens, cujus metropolis eſt Zeckel waſſarhel, Saxonibus Newmarck, oppidum ampliſſimum, ubi frequens Ciculorum conventus habetur.

Hungari & Nobiles ejuſdem regionis paſſim intermixti Saxonibus, cum Ciculis propemodum tam ſermone, quam veſtitu & armis conveniunt: In rebus vero bellicis cæteris nationibus non uno nomine anteponendos arbitror.

Quæ tres nationes, conjunctis viribus & copiis ad bellicam expeditionem inſti-

inſtituendam, juxta communem ſupputationem, ad nonaginta & amplius millia armatorum ſuppeditant. Etenim non obſcurum eſt, quam ingentia à tot jam ſæculis hæc regio ex aſſiduis hoſtium incurſibus pertulerit pericula: tamen nullo non tempore hoſtes, non ſine ingenti clade victi, & inde repulſi fuere.

Valachi etiam hanc terram, ſed ſparſim ſine certa ſede incolunt. Teutones vero ſeu Saxones munitiſſimas paſſim & urbes & arces habent, qui rebus omnibus cæteris nationibus facile præſtant. Terra quidem natura ſua, auri, argenti, vini, frumenti, paſcuorum, pecorũ, fontium, fluminum, breviter rerum omnium, quæ ad vitæ uſum, cultumque pertinent, ditiſſima eſt, ut non temere à majoribus Regni Hungariæ theſaurus Tranſylvania ſit appellata.

Valachia autem provincia, quæ alio nomine Tranſalpina dicitur, inferioribus Tranſylvaniæ confinibus propius accedit, & Danubium ſecuta in Pontum uſque protenditur, indeque in Septentrionem vergens, Roxanos (quos hodie Rutthenos vocant) attingit, de qua provincia in Moldaviæ commentario plura.

Hujus nationis genus ex Italis profectum eſſe lingua arguit, nomen ex Sarma-

tis

tis quibus alicubi etiam cõtermini sunt) adepti videntur, ipsamq; quam inhabitant provinciam, Flacciam, à Flacco quodam Romano cive, quo duce eo sit deducta colonia, ad tuendas Mœsias contra Dacos (quos Romanis nunquam fidos fuisse Tacitus autor est) verum ut fit longa temporum serie, quæ nihil non vitiat, pro Flaccia Valachiam, proque Flaccis Valachos dici cœptos: Et citant hi de Flacco Nasonis versiculos ex Epistolis Ponticis redactos, lib. 4.

Præfuit his Græcine locis modo Flaccus, & illo
Ripa ferax Istri sub duce tuta fuit.
Hic tenuit Mœsas gentes in pace fideli,
Hic arcu fisos terruit ense Getas.

Porro Mœsos olim fuisse, qui nunc Valachi sunt, receptius est hodie, quam quis negare audeat, in tanta præsertim autorũ, qui sectandi erant, diversitate: Inter quos quidem primus Ptolemæus Cosmographorũ antistes & plane alpha, quod ajunt, nihil Mœsis concedit ea qua Valachi sedent parte, siquidem is à Carpatho monte incipiens, quicquid terrę ab Occasu, Thybisco amne: à meridie, Danubio: à Septentrione, Sarmatica Europæ clauditur, Daciæ nomine apprehendit. Iuxta quam descriptionem, Transylvanos, Ciculos, Valachos, quosq; Moldavienses vocant, & Hunga-

Hungarorum bonam partem, qui Poloniam versus, planam colunt terram, Dacos appellans. Cæterum Mœsias esse duas, quas superioris & inferioris appellatione secernit, in alteram Danubii partem transfert, quæ est versus Daciam: & superiorem quidem ex inferiori deducit Pannonia, à Savo amne Danubio confluente. Inferiorem autem justa parte ultra Danubium extendit in Scythiam. Ptolemæus quoque in eam sententiam alibi accedit. Dion Cretensis Græcus autor, in divi Trajani vita autor est, quod hic quo tempore contra Dacos bellum gessit, pontem lapideum admirabili ædificio, ultra Istrum fluvium extruxerit, quo expeditius copias traducere posset, quoties Romani, qui trans Danubium agerent, à Barbaris infestarentur, ac demum structuras & fornices, quæ super aquam extitere, Adrianus Imperator demoliri jussit, veritus, ne scilicet pulso Romano præsidio feræ & indomitæ gentes Mæsiam popularentur: de quibus rebus omnibus tam præclare gestis, in præcedentibus annotationibus plura recensuimus. Extant ejus pontis nonnullæ in hunc usque diem reliquiæ apud Serinium, quod Danubio imminet castellum, ubi cum Heraclio Cosdroen congressum habuisse ferunt. At Strabo geographi-

graphicæ rei diligentiſſimus obſervator. Mœſos ſcribit utrumque latus Iſtri accoluiſſe, cum quo Plinius ſentire videtur, lib. xxx. naturalis hiſtoriæ: Panoniæ, inquit, jungitur provincia, quæ Mœſia appellatur, ad Pontum uſque cum Danubio decurrens.

Poſteaquam autem ea, quæ de hac provincia, & de variis hujus terræ incolis ac nationibus cognitu in primis neceſſaria videbantur, in ipſo operis ingreſſu abſolvimus, commodum jam generalem tam locorum, quam civitatum principalium deſcriptionem, quantum noſtra docebit experientia, declarabimus, & per omnes Tranſylvaniæ partes, longitudinem cum latitudine, univerſum iſtius regni ambitum emetiemur; ita tamen, ut & fidei ſemper, quæ in hiſtoriis pręcipua eſt, & methodi rationem habeamus.

Itaque à Varadino, primo ad Tranſylvaniam ingreſſu, per flumen Cryſum, qua ad occiduam plagam Pannoniæ inferiori annectitur, offertur pagus Feketetho, Latine nigra palus appellatus, quem Valachi, montibus & rupibus undique interſeptum incolunt, ſitus in loco horrido & aſpero, ubi frumenti & annonæ, ob rariſſimam illius terræ culturam, frequens victui penuria accidit,

cum præſertim nulla ejuſdem loci ſit planities, & non ſegetes, ſed extenſæ arbores undequaque magno terrarum ſpacio interſertæ conſpiciuntur, quo minus commode in his locis deſertis & agris infœcundis, ulla frumenta ſeminare queat. Attamen Cryſus fluvius quovis tempore ſelectiſſimos piſces, utpote fundulos, cephalos, capitones, auratas, atque etiam trutas, & complures alios ſatis benigne ſuppeditat. Præterea hic fluvius plerunq; ex inundatione adeò vehemens eſt, ut magnos etiam currus graviter oneratos præcipitare ſoleat.

Civitas prædicta Varadienſis eſt ampliſſima, & nullis mœniis circumducta, in planitie exiſtens. Hic frater Georgius, Tranſylvaniæ Regni Theſaurarius, iſtius loci Epiſcopus reſidet, & inſignem tenet arcem, magnis ſumptibus extructam, & optime munitam, ubi divus olim Ladiſlaus Rex Hungariæ, felicis memoriæ, ſuam habet ſepulturam, marmore eleganter exciſam, tanto Principe dignam. Illic populus eſt Hungaricus partim Teutonicis commixtus, quæſtum ex rebus Turcicis, ex aliis locis importatis, faciens, rebuſque ad quotidianum vitæ uſum pertinentibus, non mediocriter abundat.

Hinc à Feketetho recto itinere uſque

ad The-

ad Thelegd oppidum duo, ad Reeff tria restant miliaria, satis magnis stadiis comprehensa, ubi Crysi fluvii ex scaturientibus undique fontibus exordia erumpunt, tenuique alveo per medium dicti oppidi Reeff usque Sebeswar continuo meatu porrigitur, ubi demum finem accipit.

Deinde si Colosvariam tendas, de qua civitate opportune suo loco plura dicemus, quinque miliaria intercedunt: rursus usque Thordam, quę civitas versus meridiem jacet, per arduum & saxosum montem bis mille passus emetiendi sunt: Eaque civitas licet nullis sit muris aut mœniis cincta, tamen satis ampla, opulenta, & diversis mercibus frequens, cujus incolæ & pecorum & jumentorum àc compascuorum & agrorum usu fructu ditissimi sunt, ut interea taceam, quam optimi vini ferax sit. Ad hæc salium fodinis tam celebris est, ut vix parem in toto Oriente fundum comperias. Ibique præfectus Camerarum salium perfungitur officio Regio, & ex salinis Hungariæ Regibus annuam pensionem maximam tribuere solet, quam vel eo nomine non parvam esse, facili judicio elicere possumus, quod inde toti fere Transylvaniæ serviatur: Indeque sal Budam & ad alia pleraque loca extranea assidue perferatur

ratur & evehatur, non ſine magno Regiæ Majeſtatis commodo.

A Thorda verò, duobus intercedentibus oppidis, Gochard & Monera, duodecim numerantur miliaria uſque Cibinium, quæ civitas hujus Regni metropolis eſt, & munitiſſima, aurique & argenti, rerumque omnium longe abundantiſſima, quemadmodum ex ſequenti noſtra deſcriptione cognoſces. Reliquas demum ejuſdem provinciæ urbes, ſuo ordine & ſerie breviter complectemur. Sunt igitur hæ ſeptem urbes in Tranſylvania celebriores, à ſe per locorum intervallum ſuo modo & ordine diſtantes, ut ſequitur.

Cibinium,	Hermanſtat.
Braſſovia ſive *Corona*,	Cronſtat.
Biſtricia,	Nöſenſtat.
Segeſvvaria,	Scheßpurg.
Megies,	Mydwiſch.
Zabeſus, ſive *Zaazſebes*,	Millenbach.
Coloſvvaria,	Clauſenburg.

Quarum civitatum priuſquam deſcriptionem aggrediamur, operæprecium mihi facturus videor, ſi paucis rem me-

moriæ non indignam interiecero: Hanc nimirum civitatem Cibinienſem, poſt Sereniſſimi quondam Ludovici Regis, fœlicis memoriæ, interitum, ad ſeptennium uſque in aſſiduis bellorum tumultibus (dum ſcilicet Regnum Tranſylvaniæ, propter infœliciſſimam Regis Ioannis coronationem, in diverſum erat diſtractum) ſeſe contra omnium hoſtium impetum citra ullum externarum gentiũ præſidium & auxilium, armis ſuis & ſumptibus propriis, quam ſtrenuiſſime conſervaſſe: neque etiam cives ulla obſidione aut oppugnatione, vel hoſtium incurſione aut formidine ductos, ut defeſſis viribus in aliquam deditionem provocati fuiſſent, ſed aliis quoque civitatibus, tam auſtera & militari defenſione, robuſtiorem animum præbuere, ne hoſtium arrogantibus minis territi, in defectionem ſe trahi paterentur. Vnde ſibi ac poſteritati ſuæ immortalem laudem & memoriam perpetuam paravere.

Cibinium metropolis civitas celebratiſſima, à Cibinio amne nomen retinens, quæ alio haud inepto vocabulo *Hermanſtatt* appellatur, ab Hermanno ejuſdem urbis primo conditore. Quæ in planitie ſita, nullis prope montibus incumbentibus impeditur, quin ſe in admirabilem latitudinem aperiat, duplici muro

munita, & fossis admodum profundis, circumquaq; piscinis lacunaribusq; non paucis spaciose diffusis præcincta est, magnificis deinde ædificiorum structuris, turribus, & propugnaculis suo ordine & serie intersertis, culta & ornata est, cujus Parrochia Cathedralis, suo Præsule insulato digna, viginti & quatuor sacerdotum adaucta aris, est conspicua.

Hinc annua frumenta in subterraneas foveas, ad multos annos, citra ullam publicæ annonæ jacturam, conservandi gratia conferuntur: Nec desunt molendina triticaria ita laborata, ut nulla arte ab hostibus esuriem civitati molientibus, eripi possint: adde quod passim per civitatis singulos vicos placidissimo flumine rivulus decurrit. Magistratu regitur prudentissimo, cuique non facile alium prætuleris, usque adeò ut ad eum nemo, nisi qui multis testimoniis fidem suam Reipub. probarit, admittatur. Pagos Regios decem, & octo tributarios habet. Huc quoque septem Saxonum sedes spectant, quarum nomina sequenti ordine explicata vides. Septem sedium Saxonicarum nomina.

Zazvvariensis sedes, pagos habet regios undecim.

Zabesiensis sedes, *Zabesum* civitatem, cum pagis Regiis quinque.

Reus-

Reuſmarck ſedes, pagos habet decem.

Segesburgenſis ſedes (civitas ipſa) pagos habet ſedecim.

Olczna ſedes, pagos habet duodecim.

Schenkerſtul ſedes, pagos habet viginti & duos.

Rupěſis ſedes, pagos habet quindecim.

Præter has ſeptem ſedes Saxonum in Tranſylvania ſunt & aliæ duæ ſeparatæ, quarum caput eſt civitas Megienſis, pagi huc ſpectantes ſunt viginti quatuor: prædictis autem ſedibus interjacent multi pagi, poſſeſſioneſque Nobilium, quæ ad numerum ſedium Saxonum non conferuntur.

Numerantur etiam in Tranſylvania, quo ad penſiones taxarum, octo parrochialia Capitula præcipua, quæ ſimul appellant Vniverſitatem.

Biſtricienſe Capitulum habet *Biſtriciam* cum viginti tribus pagis regiis.

Regnenſe Capitulum habet pagos pluſquam triginta.

Barcenſe Capitulum habet Coronam civitatẽ cum tredecim pagis regiis.

Kiſdenſe Capitulum habet *Segesburgam* & pagos quadraginta octo.

Duarum ſedium Capitulum complectitur civitatem *Megienſem* cum pagis triginta ſex.

Cibinienſium Capitula duo, quorum unum

unum habet *Cibinium* & pagos viginti tres.

Alterum Capitulum *Cibinienſe*, quod vocant *Surrogativa*, continet pagos circiter viginti duos.

Sabeſienſe Capitulum habet Sabeſum cum pagis decem & ſeptem.

A prædicta civitate Cibinienſe diſtant ſalium fodinæ, in Wyzagna oppido, quod aliàs Saxonicè Saltzburg appellatur, uno miliari, ex quibus quotannis ingens theſaurus conflatur, nec minus, ut arbitror, fodinæ oppidi Dees emolumenti, in annos ſingulos Regiæ Cameræ apportant.

Haud longe ab ea civitate Cibinienſi diverſa circumfuſa jacent oppida, in quibus paſſim Saxones reſident. In primis Helta ad Meridiem uno diſtans miliari, oppidum mediocri magnitudine, & quodam caſtello munitum, ubi falces meſſoriæ, quæ nuſquam alibi, fabricantur, & plebeculæ ex communi meſſium ac fructuum quæſtu, victum quærere ſolent, magis commodum.

Inde mons S. Michaëlis pauló infra Heltam, eodem fere ſpatio diſtat, in cujus ſummitate inſigne caſtellum ex quadrato lapide pulcherrimè eductum, in quo coloni ingruentibus bellicis temporibus res ſuas & bona ab incurſu hoſtium


ſatis tutè conſervant: adde quod locus fertilis, & diverſorum fructuum ferax, ex quibus incolæ non mediocrem quæſtum faciunt.

Præterea Alutus amnis inter reliqua iſtius Regni flumina, non eſt incelebris, qui in montanis Ciculorum radicibus ortus, ubi primum Tranſylvaniam attingit, & Barcenſem terram à Ciculorum metis dirimit, inde Cibinium verſus decurrens prope rubeam turrim, ubi cives Cibinienſes, ne præter expectationem obruantur, excubias agunt, per anguſtas & abruptas valles in Tranſalpinam fertur, ubi eum auriferum eſſe perhibent, haud longe ſupra Nicopolim Iſtro miſcetur, quæ turris duobus à Cibinio diſtat miliariis, unde Turcis per ſtrictiſſimas & anguſtas admodum vias in Tranſylvaniā acceſſus eſt.

Tradunt hiſtoriæ, Turcas tempore quondam inuictiſſimi Regis Mathiæ, in Tranſylvania profligatos, & in turpiſſimam fugam verſos, in prædicto loco rubeæ turris, à ſummitate, quam in ea fuga conſcenderant, ob magnitudinem tanti ponderis equorum, in undam Aluti fluminis demerſos, corruiſſe.

Corona ſeu Braſſovia civitas mercibus Turcicis celebris, intra montes amœniſſimos ſita, mœnibus, foſſis, & propugna-

 culis



culis satis munita, habet tria suburbia distinctis vallibus posita, quorum unum incolunt Bulgari, alterum Hungari, Saxones agricolæ tertium. Per singulos fere vicos rivuli descendunt saluberrima fontium scaturigine perpetui. Campos habet planissimos, longe lateq; densis montibus cinctos, alpibusque altissimis à Valachia Transalpina dividitur: frumento & lino præcipue abundat, estque quasi horreum vicinarum gentium. Studio liberali præ ceteris hoc tempore clara, estq; ibi nuper constructa Bibliotheca, qua nulla in Pannonia post dissipatam Budensem Matthiæ Corvini Bibliothecam, cultior usquam fuit. Quæ à proximis Ciculorum metis & confinibus sita (sive eam Græca voce Stephanopolim, sive semibarbara Cronopolim, sive cum Hungaris Brassoviam appellare quispiam velit) in penitissima Transylvaniæ parte, quam peculiari nomine Pannones Burczam, nostri autem Burciam vocant, vel ab amne cognomine, qui id loci interluit, vel à radice, quasi dicas nostrate lingua Wurcziam, quæ vulgo recepta est opinio, hoc fortassis nomine, quod radix Coronæ inserta, Burtianis sit insigne.

Hujus verò Burciæ pars est facile ornatissima, sed sic dirempta situ, ut fere altera Transylvania videri possit: claudi-

tur

tur enim undiq; montibus, à Ciculis fluvio dirimitur, cui nomen est apud Ptolemæum Alutato, intus tota est cultissima, hortum planè, si videas, dixeris. Sed & urbs ista (jam tandem, quod institui, paucis absolvam) in quodam quasi loci hujus recessu, montibus confertissimis (ut præfertur) comprehensa est, cujus gemini in latitudinem murorum foris excurrentium latera claudunt, quibus superne propugnacula imminent, sic ut nisi in summa montium acclivitate circuitus nôn pateat: Duplex fossa eximia altitudine ambit undique mœnia, in quibus turres conferto stant ordine: In longitudinem cum vallo descendit, ut quadrata fere esse videatur. Suburbia autem complent quicquid est extra muros vallium, ubi ipsi Saxones, Ciculique mixtim habitant: reliquam loci istius partem intra ipsas usque montium angustias Valachi fere occupant, hîc templum habent, & ei præsidentem sacrificulum: Deinde Saxones rursum cum Ciculis longissimis vicis commorantur. In civitatem vero non nisi Germanus recipitur. Inter amplas in ea substructiones, primas habet virgini Mariæ consecratum quadrato lapide templum.

Hæc civitas ab arce Fogatas distat miliariis quatuor, in palustri ac plano loco

sita,

ſita, & adeò munita & fortis eſt, ut nulla ſuffoſſio huic metuenda ſit unquam. Ex qua arce anno M. D. XLI. Stephanus Maylat, iſtius Regni Tranſylvaniæ Waywoda, vir militaris ac ſtrenuus, à Turcis & Petro Waywoda Moldavo, dolo & fraude ac ſimulata eorundem fide, elicitus, & in captivitatem Cæſaris Turcarum abductus eſt Conſtantinopolim, ubi hactenus acerrimis detinetur vinculis: De cujus tam inſperata ac improviſa captivitate, & Petri Waywodæ perfidia, longa poſſet ſcribi hiſtoria.

Quã civitatem olim Stephanus Waywoda Moldavus, qui huic civitati erat hoſtis infenſiſſimus, bombardis & machinis bellicis in montem eminentiorem deductis, expugnare, & ſuo imperio ſubjicere moliebatur, ſed bombardis parum profecit, ſiquidem demiſſis globis, propter ſpacii longitudinem, quo deferebantur, vis & impetus eorum frangebatur, adeò ut citra ullam ædificiorum jacturam, in theatrum civitatis prolapſi devolverentur, quo facto, deſperata victoria, Waywoda obſidionem reliquit.

Nulla in Tranſylvanis urbibus, multorum ſanè judicio, populoſior illâ: forum hîc ſingulis ſeptimanis, ruſticis ex agro confluentibus, tam celebre eſt, ut juſtas nundi-

nundinas putaveris, ob rerum merciumque propositarum copiam: Est enim finitimorum emporium, & veluti communis officina rerum omnium: confluunt istuc Ciculi, Valachi, Armeni, & Græci: etiam Turcicis plerumque mercibus tam ex Moldavia, quam Valachia adductis, fit interdum opulentior. In ea civitate, qui magistratus agunt officia, viri sunt graves & maturi, diversarumq; linguarum periti, Remp. summo studio foventes: cives autem & belli & pacis artibus sunt instructissimi, qui cum Moldavis plerumque bellum gessere, & nonnunquam insigni victoria potiti sunt.

Bistricia in amplissimæ vallis planitie posita, habet utrinque vitiferos colles. Per mediam urbem fluvius ejusdem nominis labitur ad meridionale latus inferioris suburbii declinans, qui statim post duo miliaria Zamoso conjungitur amne, fundulis in primis abundans. Quatuor miliaribus ab urbe Bistricia sunt auri fodinæ Roduenses, inde in extremis Transylvaniæ finibus Rivuli Dominarum aurifodinis non obscuri.

Segesvvaria civitas partim in ædito colle, partim infra ad radices habitata, inferior tamen ejus pars cultior existit, ob faciliorem rerum necessariarũ copiam: fluvius idem mœnia hujus civitatis pari-

ter & Megienſis prӕterlabitur, qui paulò ſupra Albam Iuliam influit in Maruſium.

Megienſis civitas, quӕ in meditullio Tranſylvaniȩ ſita, ferax vini, ac rebus aliis omnibus ad communem quӕſtũ & victum deſervientibus ſatis referta, & clade quondam Ludovici Gritti gubernatoris non incognita. Is Gritti ob indignitatem cӕdis magnifici quondam Emerici Czijbackii Varadienſis Epiſcopi, quem dictus Gritti ad ſe dolo & fraude accerſitum, occidi juſſerat, atque demum paulò poſt à Moldavicis gentibus & Saxonicis, in ea civitate obſeſſus, captus, & in campum eductus, ſimul cum aliis multis tanti facinoris conſciis, qui eum comitabantur, extremum recepit ſupplicium, cujus tandem duo filii inſignes adoleſcentuli quoque in captivitatem Waywodӕ Moldavienſis deducti, capite paternum ſcelus expiarunt, quod ex rebus geſtis melius cognoſcas: Acta ſunt hӕc anno vigeſimo ſeptimo. Hӕc autem civitas, olim oppidum, & non ante multos annos ſuis arcibus & mœniis firmata, & in formam civitatis redacta eſt.

Quӕ civitas quatuor à Cibinio diſtat millibus paſſuum, quam prӕterlabitur fluvius Kykellew major, qui in montanis Schijk oritur, & recepto minori Kykellew amne, non longe à Balasfalwa

paulò

paulò infra Ezombor & ſub Enjedino oppido in Maruſium influit.

Inde Kykellewar uno miliari à Megies diſtat ad Occáſum, illic fluvius minor Kykellew ab arce non adeò procul præterlabitur, quam arcem quondam Petrus Waywoda Moldavus cum nonnullis pagis circumjacentibus, ex donatione & inſcriptione olim Divorum Hungariæ Regum, poſſidebat: Hanc nunc frater Georgius, Regni Tranſylvaniæ Theſaurarius, adeptus eſt, & in ſuam redegit juriſdictionem. Illic egregia vinearum promontoria, & vina optima, aliarumque rerum magna habetur affluentia.

Zabeſus civitas non magno intervallo ab Alba Iulia, in planitie, valle profundiſſima, aquis piſcium fœcundiſſimis munita, quanquam non ita fortibus propugnaculis defenſa ſit: intus luculentis ædificiis exornata, quam primariam Saxonum ſedem fuiſſe dicunt. A qua civitate non longe duo ſunt oppida, utpote Wijncz & Borboreck, quæ alias ex Divorum Hungariç Regum donatione, ad Tranſalpinum ſpectabant Waywodam, Regibus Hungariæ ſubjecta: ubi ſal Regiũ ratibus inſtructis Maruſio amne applicatur, & inde Hungariam provehitur. Illic in ſummitate cujuſdam monticuli caſtellum quoddam, in quo Divi olim

Franciſci

Francifci ordinis profeſſores reſediſſe dicuntur, non ante multos annos per internos hoſtes demolitum. Ea civitas habet pagos Regios decem & ſeptem.

Coloſvvaria in planitie ſuaviter admodum ſita, tam murorũ ambitu foris, quam ædificiorum ſtructuris intus ſplendida: Eam Saxones mixti Pannonibus incolunt, Iudicem & Conſules alternis vicibus quotannis concordibus ſuffragiis, nec diſpari numero eligunt, hi Hungarum, illi Saxonem, ſuos quiſque Senatores ſalutant. Vbi ad portam Portinam hoc Epigramma Traiano adſcriptum eſſe videas:

I. M. N.

TRAIANO PRO SALVTE IMP. ANTONINI ET M. AVRELII CAESA. MILITES CONSISTENTES MVNICIPIO POSVERVNT.

Non procul hinc Chryſus fluvius, qui primas Hungariæ metas à Tranſylvanis limitibus ſejungit, ex Dacicis jugis Pannoniam contingentibus intra aſperas & præcipites alpes continuis anfractibus & celeri meatu diſcurrit, ubi Valachi in deſertis ædibus reſidentes, uſu ac quæſtu pecorum & piſcium affluentium quotidianum victum quæritant. Abundat hic fluvius nobiliſſimis piſcibus,

qui ex eo, ut apparet, nomen accepit, quod & auro abundet, quod à Græcis χρυσὸν appellatur: Vide Strab. lib. XIII. circa medium ab accolis.

Nec longe ab hac civitate duæ altissimæ rupes prodeunt, versus Occasum, à regione sibi opposita, inter quas fluviolus satis præcipiti labitur cursu, prout ex his cognoscere licet versibus:

Hic geminæ pariter tolluntur ad æthera rupes,
Saxaque præruptis cautibus atque rigent.
Rivulus hinc cursu fluit inter utramque rapaci;
Aureus hinc nitidis excipit amnis aquis.
Perspicua est ipso adductu quæ sumitur unda,
Candidulus scrupos fundus & imus habet.
Ante locis transis vicenis atque novenis;
Quam celsum videas quo fluit ille jugum.

Alba Iulia civitas vetustissima, atque sede Episcopali celebris, quæ prædictis septem Saxonum sedibus, quasi mediterraneo terrarum spacio conjungitur, olim Zarmijz Dacia appellata (Fuit enim regia Daciæ Regum, quod ex veteribus

monumentis, quæ ibi copiose reperiuntur, cognoscere liceat) in colle declivi sita, circumfusa undequaque ad duo fere millia passuum planitie. Ab Oriente fluvium Marusium, & deinde ex altero latere amnem Ompaii Hungarice vocatum, ex alpibus descendentem: ab Occidente vero amœnam, ut diximus, planitiem usque ad montem S. Michaëlis, quo in monte in rupe altissima castellū quoddam divi Michaëlis situm est, à Romani imperii durans tempore, quod ex antiquitatis monumentis, quæ ibi non pauca sunt, conjicere licet; à Septemtrione eadem intercedit planities, atque inde Marusius fluvius quoque duobus distat ab urbe millibus passuum, qui olim per mediam urbem perluisse dicitur, ex ruinis & sepulchris pervetustis & dirutis accepto indicio. Tanta ejus urbis fuit amplitudo, ut in longum & latum ad quinque millia passuum porrigeretur. Quod autem Gothi antiquitus eam incoluerint terram, vetustas inscriptionum & characterum illic in tabulis & sepulchris inventorum ostendit, literis paucis admodum nostra ætate cognitis: proinde fidem faciunt, Romanorum legiones hucusque progressas fuisse, cujus rei signa passim adhuc in visceribus terræ occulta inveniuntur.

Ab Alba Iulia ad Occidentem sunt montes & alpes excelsissimæ, & aditu difficilimæ, in quibus situantur civitates montanæ auro & argento præstantes, inter quas vel præcipua est Abrugbaniia, quam Collegium Sacerdotum ex donatione Ioannis Huniadis possidet, venis metallicis celebris, ubi magna auri vis assidue colligitur, quæ ad Cameram monetariam Cibinium defertur, ibidemque conflatur, & ex ea aureæ monetæ cuduntur continuo, prout ex sequẽtibus nostris annotationibus plane liceat videre.

Distat hæc civitas Abrugbaniia ab Alba Iulia miliariis quinque: Eodem itinere alia civitas Zalathna non procul situatur, quam nunc Valachi incolunt, ubi ex vetustis monumentis apparet, olim maximam fuisse urbem.

Zazwaras, Saxonibus Bros dicta, distat à Keniier ad Meridiem uno miliari, sita ad flumen Marisium, terra fœcundissima, frumenti, vini, & omnium fructuum ferax: Ibi populus admodum urbanus, & ad Valachorum ritum & consuetudinem, amictu & victu non parum accedens, qui passim in campis circumquaque desertis quibusdam possessionibus resident, & habent cœlum mitæ temperiei: Etenim sylvæ intensissimæ, lepores, damas, & cervos, in magna mul-

titudine fovent, piſcibuſque illic optimis abundant.

A prædicta civitate Zazwaras, ubi per ſylvoſa montium juga, duo fere milia-ria confeceris, ſubito conſpicis novam quaſi terram. Eſt provinciola parva in extremo Tranſylvaniæ angulo, in qua Haczak oppidum ſitum, ea provinciola à reliquo regno ſeparata, undique mon-tibus & alpibus eminentiſſimis circum-ſepta eſt, præſertim ab ortu & meridie, ubi ſpacioſiſſimus tranſitus in Mœſiam, quæ noſtro tempore Tranſalpina voca-tur: Quæ regio ad octo miliaria ſe exten-dit, & quaſi in medio umbilico ſita eſt, & ipſo regionis nomine Haczas appella-tur, quod oppidum Valachi mixtim Pan-nonibus cohabitant.

Ad plagam Meridionalem hujus regio-nis adhuc apparent & teruntur urbis am-pliſſimæ fundamenta latiſſime porrecta, & parietes ædificiorum collapſi conſpi-ciuntur: Varheli loco nomen eſt, quod ſignificat, locus urbis: Hîc ſingulis fere diebus Valachos invenias, qui rudera vertunt, ac lapides pretioſos, atque nu-miſmata tam aurea quàm argentea ex vi-ſceribus terræ, variaque antiquitatis mo-numenta effodiunt.

Præterea Alba Iulia civitas Daciæ, quæ nunc eſt ſedes Iſabellæ Reginæ Hun-gariæ

gariæ &c. eamque abrogato Episcopatu tenet: Et à diva Iulia Augusta, matre divi M. Aurelii Anthonii Pii Aug. Imp. nomen sortita est, cujus rei argumento Epitaphium in vetustissimo marmore templi divi Michaëlis descriptum est.

I. O. M. E. IVNONI.

PRO SALVTE IMP. M. AVR. ANTHONII PII AVG. ET IVLIÆ AVG. MATRIS AVG. M. VLPIVS MVCIANVS MIL. LEG. XIII. GEM. HOROLOGIARE TEMPLVM A SOLO DE SVO EX VOTO FECIT, FALCONE ET CLARO COSS.

Sargetia fluvius Daciæ, ad regiam Zarmiiz Decebali quondam Dacorum Regis fluens, cujus tempore Huniadum arcem alluit: Decebalus autem subter vada Sargetiæ amnis, non procul à Regia prædicta Zarmiiz, suos occultaverat thesauros, quos deinde Trajanus Imperator, eo superato comperiisse fertur. Lege Trajani vitam, per Georgium Merul. ex Dione Græco traductam.

Zarmis, inquam, urbs ingens, quondam Decebali Dacorum Regis sede clara, eo autem devicto, Colonia Vlpia Trajana, Augusta Dacia fuit appellata, quod ex subscriptis Epigrammatis plane videre licet.

DIVO SEVERO PIO.
COLONIA VLPIA TRAIANA AVG.
DACIÆ ZARMIS.

Aliud Epigramma.

I. O. M.

ROMVLO PARENTI, MARTI AVXILIATORI, FOELICIBVS AVSPICIIS CÆSARIS DIVI NERVÆ TRAIANI AVGVSTI, CONDITA COLONIA DACIA ZARMIS, PER M. SCAVRIANVM EIVS PRO P. R.

Sunt præterea in ea provincia montes auri & argenti ditiſſimi, utpote Abrugbania, Zalathnia, & Kereſbania, ex quibus magna vis auri & argenti ſumitur, & Cameræ Regiæ pro cudendis tam aureis quam argenteis monetis applicatur.

Abrugbania dives auri oppidum, in cujus circuitu montes mira rerum omnium fertilitate, uſque adeo cumulati, ut ſolertis terræ viſceribus, theſauros Regiis opibus non indignos alat: nempe illiçobriſum aurum patulis de montium verticibus fruſtulatim præciditur, ſubter quorum valles vitrei & perlucidi amnes decur-

decurrunt, ex illis alpium jugis demergentes: plures denique eo loco chrysolapides in opulentis ac crebris chrysoplisiis, id est, aurilavacris inveniuntur. Abrugbania autem Romanorum olim colonia fuit, quantum ex hac inscriptione conjectura assequi possumus, in altari ædiculæ supra oppidum non ita longe reperta.

D. M.

CASSIÆ PEREGRINE INTEG. FA
I. VIR ANN. XXII. F. BISIVS SCE-
NOB. SARD. CONIVG. S. M. P. I.

Zalathnya oppidum temporibus Traiani Imperatoris conditum, olim aurifodinis insigne, ubi adhuc extant aliquot Epigrammata in marmoribus sculpta, quorum hîc unicum lectu dignum adjunximus.

D. M.

M. AVRE. ANTHONINI MIL.
LEG. XIII. GEM. VIXIT. ANN. XII.
MEN. XI. DIEBVS II. MILITAVIT.
AN. V. LIB. RARA VRE L.

MARCIANVS ET VAL. VALEN-
TIANA FILIO PIENTISSIMO.

Keresbania oppidum in proclivitate montium loco satis amœno situm, quod Saxones Valachis passim interspersi incolunt, à quibus ea loca interdum minus tuta sunt ex frequenti deprædatione.

Iam paucis post civitatum descriptionem, quæ hîc sint præ cæteris celebria flumina aperiemus.

Marisius, seu Marisus pen. cor. Daciæ, vel si mavis, Transylvaniæ aurifer fluvius, ex alpibus Transylvaniæ Moldaviam contingentibus profluens, à Ciculis in Daciam, inde in Tyssiam descendit (vide Strab. lib. x.) mox Danubium influit, per quem Romani milites vasa olim sibi ad usum belli necessaria devehere solebant, adde quod hinc sal Regium in Hungariam importari solet.

Zamosus, pen. longa, fluvius Daciæ non procul à Chryso fluvio in jugis Dacicis ad Moldaviam vergentibus, in primis Orientem versus effluit, tandem arcem Gywla Episcopalem præterfluens, tendit ad Austrum, & civitatis Coloswariæ pomœria radit, inde ad Solis ortum vertitur, angusto alveo & sinuoso navigabilis, quo sal Regium oneratis navibus quotannis evehitur, vulgus eundem fluvium appellat Zamos, non longe à Bistricio territorio, per vallem emissus abduci-

tur

tur in Hungariam Thybiſco amne præcipitandus.

Auratus vero fluvius in montibus Abrugoriens Tordam præterlabitur, & paulo ſupra Nadghlack in Mariſio exoneratur, qui Tranſylvaniæ celeberrimus fluvius eſt, ſatis exili & anguſto alveo proſiliens, deinde collectis ſimul aliorum rivulorum & fluviorum undis augetur, Tranſylvaniamque ſecat, ac præterfluens oppida Zeckel waſſarhel, Enyedum, Albam Iuliam, Dewan, & Lyppiam, qui tractus totius provinciæ eſt amœniſſimus, atque non adeo magna diſtantia à Zegedino in Hungaria, cum Thybiſco conjungitur, & navalis eſt amnis, quo omne ſal evehitur ex Tranſylvania, deponiturque Zegedini, atque inde per totam defertur Hungariam, & per Thybiſcum, Belgradum, Serviamque deducitur.

Eſt autem Tranſylvania (ut ad priorem noſtram redeamus ſententiam) quæ olim fuit Dacia, ſi non tota, tamen ejus florentiſſima & præcipua pars, quam Imperator Trajanus, ut prædiximus, victo Rege Decebalo, qui his locis imperabat, in provinciam redegit, deductis colonis, & urbibus conditis, quarum nonnullæ in hunc uſque extant diem, quod adorandæ vetuſtatis inſcriptiones

monumentorum pluribus locis repertorum indicia testantur: Eam Teutones primo tempore & aliquot retro sæculis possidere, sive hi ex Saxonia, sive à Rheno venerint, tamen ex Germania profectos fuisse constat: Sed quam fortunam, quemve Ducem sequuti sint, nullis quidem literis proditum est, nisi quod in Hungarorum Chronicis legitur, Divo Stephano regnante multas semel nationes Hungariam & istius confinia occupasse, inter quas Saxones fuisse memorantur. Hactenus de Transylvania, nunc quæ Hungariam propius contingunt dicemus.

Hungarorum nomen quidam verisimili conjectura ducti, ex Hunnis & Avaribus concretum existimant: quorum illi à Mæotide palude digressi, hi verò è Iura monte descendentes, in Pannoniis (hoc enim antiquitus regioni nomen fuit) Gothis expulsis (qui & ipsi paullò antè per vim, ejectis primis cultoribus, irruperāt) sedes sibi constituerunt. Vt olim, ita nunc quoq; Hungaria omnis in duas divisa est partes, quarum unam supradanubianam, vel primam, alteram cisdanubianam, vel secundam scriptores appellant. Regni universi limites sunt, ab oriente quidem Transylvania & Rascianorum regio, quæ Mysia olim: australe ejus latus Dravus

fluvius

fluvius claudit; ad septemtriones Poloniæ; ad occidentem Austriæ & Stiriæ confinia habet. Quæ Savum & Dravum interjacet regio, Valeria olim, item Riparia & Interamnensis Pannonia appellata fuit: Hungarorum quondam regibus vectigalis, nunc pleraq; omnis Turcarum tyrannidi servit. Cœlum hîc satis temperatum est ac mite: aër tamen multis in locis humidus, ac densa plerunque caligine obscurus. Terra fertilitate nulli ex omnibus pænè Europæ regionibus cedit. nam & fruges omnis generis, triticum præsertim, & milium, benignè gignit: generosi etiam vini proventu admodū felix est: tum pecore tota fœcundissima, adeò ut quotannis Viennam circiter octoginta præpinguium boum millia, atque inde in diversas Germanię regiones agantur. Ferinæ tanta abundantia, ut venationes & aucupia cuivis licita sint, sic ut lepores, phasiani, perdices, quæq; apud nos in deliciis habentur, rusticorū etiam ac plebeiorum hominū familiaris sit cibus. Terrę viscera venis omnis generis metallorum scatent, præsertim auri, quod bonitate in primis commendatur. Amnibus præterea nobilissimis irrigatur, Danubio, Savo, Dravo, Savaria, Corcora, Arrabone, Tebisto, Grano, Marisio, Cuso, Alictio, Bacuntio, Valdamo: quorum nomina etsi ab

incolis

incolis corrupta, aliquid tamen hodie ex vetustate retinent: qui omnes præter alios minores pænè innumeros, non tantum navigationibus & mercium subvectionibus magnas præbent cõmoditates, sed etiam piscibus ita abundant, ut nullibi eorum major sit copia & vilitas. Certè Tibiscum incolæ tertia sui parte ex piscibus constare, proverbio ferunt. Quid de nemorum umbris, fontium limpidissimorum, atque inprimis thermarum scatebris dicam? quarum rerum omnium admirabilem copiam non ad voluptatem tantum, verum etiam salubrem usum, huic regno Deus munificè est elargitus. Oppidis, arcibus, vicis, pagis, villis ita frequens est, ut vel cultissimis regionibus comparari, multis verò meritò anteferri possit: è quibus præcipua aliquot, regionum ipsarum situm secuti, describemus. Ac primum quidem, quod ad Septemtrionalem, sive supra Danubianam Hungariam attinet, dirimitur illa à Transylvania Moremaruso, à Polonia & Moravia, Carapto monte. Fluvios habet præcipuos, Marcam, à Marcomannis denominatum, Tirnam, Vagam, Nitriam, Granum & Tibiscum, cum quo, antè quã in Danubium exeat, multi alii, quos posteà recensebimus, cõmiscentur. Marca è Moravorũ finibus progressus, Hungariam

gariam à vicinis regionibus, maximè Marcomannorum campis determinat. Hinc Albii montes Moraviæ & Poloniæ prætenduntur: qui latus illud Hungariæ, quod Transylvaniam spectat, quasi promontoriis quibusdam castigant. Ex his Vaga fluvius ortus, ad Comarum Danubio influit. Inter Marcam & hunc urbes sunt, Tirnavia primum, Ioannis Sambuci, viri clarissimi patria, ad Tirnam fluviolum sita; infrà ad Danubii ripam, Posonium (vel Pisonium, ut alii volunt) urbs splendida, & episcopatu insignis. Cis Vagam sunt Golgotia, sive Eleutheropolis, Nitria, aliaq; multa oppidula & castella. Iidem montes Granum fundant, qui antequã Danubium ingrediatur, Ipolam recipit: cujus ripa itidẽ utrimq; frequentibus oppidulis & vicis præcingitur.

Tibiscus fluvius.

AD ortum æstivum progredientibus Tibiscus occurrit, cujus fontes ad radicem montis cujusdam, qui à frigore nomen habet, monstrantur: Is magno terrarum tractu labens multis amnibus augetur: inter quos præcipuus est Samus, qui è Transylvania decurrens, peninsulam quandam facit, in qua Satmaria, satis munitum oppidum, sita est: Post hunc Bodrogius, receptus prius Vnga & Labarsa fluviis, in Tibiscum illabitur.

Toccaia.

AD confluentes Toccaia visitur, insulæ specie, arx loci natura & operibus firmissima, inundationibus tamen obnoxia, à quibus gravissima damna non semel accepit. Paulo infra, Tarsa, Eperias prælapsus, Tibisco conjungitur, Hevato flumine auctus. ad hujus ripam Cassonia est, urbs cultissima, multumque veteris adhuc retinens splendoris. Iam illud Tibisci latus, quod Transylvaniæ obvertitur (veteres Daciam ripensem dixere) multis oppidulis, vicis, castellis cultum est. Præcipua sunt Gisgalo, Nagalæ fanum S. Nicolai, & Echieda, ad ejusdem nominis lacum.

Agria.

QVæ inter Tibiscum Danubium & Ipolam ab meridie ad septemtriones exporrecta jacet regio, oppida habet, primo Agriam (Erlam vulgo) episcopali dignitate ornatam: quam ab Agrianis, Illyricorum reliquiis, exstructam, Tartari Bela quarto regnante, funditus everterunt: sed incolæ è ruderibus eam multo magnificentius restaurarunt, arcem præsertim, quæ magna ex parte in colle sita, fossaque, qua plano conjungitur, profundissima circumdata, inter præcipua Hungariæ propugnacula habetur.

Vacia.

INfra ad Danubii ripam Vacia ſita eſt Muſarum olim domicilium; jam vero quod ejus Vulcanus reliquum fecit, Mars ſibi vindicavit. Hanc inter & Agriam medio fere ſpacio Hatuana eſt, nupera Turcarum clade inſignis: ultra quam Septentriones verſus progredientibus, fluvii occurrunt, Sagyva primum, inde Genges & Tarna: qui tandem in unum alveum coëuntes, ad Solnocum, oppidum & arcem ejuſdem nominis, quorum munitionibus hodie Turcæ in primis confidunt, in Tibiſcum illabuntur. Sex millia circiter infra Solnocum, in ejuſdem amnis ripa, Segedinum conſpicitur, eique in adverſa ripa oppoſitum Conadium.

Coloſſa.

AD ripam vero Danubii, infra Pæſtum Coloſſa eſt, urbs vetus, epiſcopalis. Inde paullatim tractus hic inter Tibiſcum & Danubium ad confluentes uſque in anguſtum cuneatur, in quo Cunianorum ſive Bachamegorum campi, pagis quidem infrequentes, paſcuis vero ſupra modum fœcundi. Auſtralis, vel infra Danubiana Hungaria, Danubio & Dravo continetur: ab occaſu Auſtriam Stiriamque finitimas habet. Pars hæc rerum omnium proventu non modo alteri

alteri non cedit, verum etiam oppidorum frequentia longè antecellit.

Primum qua Austriam contingit, Danubius insulam facit, quam Cituorum insulam Ptolemæus, nostri Scythicam appellant, incredibili fertilitate: cujus extremus angulus, qui interiora regionis respicit, Comara, contra vim omnem valida in primis arce munitus est.

Iaurinum.

PAulo supra Comaram, ad dextrum Danubii brachium contra prædictam insulam Iaurinum est, primarium facilè totius Hungariæ munimentum: quod Rabam jam vulgus appellat, ab Arrabone fluvio, quo alluitur, detorta voce.

S. Martinum.

TRia ab Iaurino milliaria, orientem versus, est Mons S. Martini: in cujus jugo insigne monasterium, ad radicem verò oppidulum, ligneo sepimento, terrâ expleto, præcinctum.

Pappa.

VLtra hunc ad meridiem Pappa est, arx & oppidum, ad lacum sita, operibusq; contra hostium insultus non mediocriter utraque munita.

Schiltberg.

HInc Montes Batonii, quibus nostrates à clypeis nomen indiderunt, incipiunt; & mediocri terrarum spatio inter Danu-

Danubium & Balatonium lacum excurrunt: quorum radices Marcalta, Arrabonis divertigio alluuntur.

Dotis.

AD latus horum, quod ad Danubium vergit Dotis eſt, oppidum quondam, nunc arx tantum è ruderibus inſtaurata. Ad hanc collis præaltus attollitur, albi & rubri marmoris lapicidinis nobilis; ſed qui hoſti ad oppugnandam, ac tormentis diruendam arcem, magnas præbeat commoditates.

Strigonium.

SVpra hanc Strigonium eſt, ad Danubii ripam, Pannonicarum urbium pæne vetuſtiſſima ac nobiliſſima, primatis Epiſcopi ſedes, ex quatuor oppidis, ad inſtar Syracuſarum, conſtans: quorum primum arcē complectitur regiam, cum primario templo colli impoſitam: ſecundum hydropolis nominatur, ad collis radices in ripa Danubii poſitum: tertiò in adverſa ripa è regione ſito, Gocaræ nomen eſt: quartum Raſcianorum civitas, in citeriore ripa, appellatur.

Vicegradum.

INfra Strigonium ad tria circiter milliaria Vicegradum eſt, oppidulum & arx ejuſdem nominis, illud ad Danubii ripam, hæc in colle ſita eſt, ſed arx Typhlopyrgi ſeu Cœci caſtelli appella-

tione nostratibus notior est: regum olim domicilium, à Matthia Corvino hortulis, ædificiis marmoreis, aliisque substructionibus mirificè exornata.

Buda.

HInc tria circiter milliaria abest Buda totius Hungariæ metropolis, quam nonnulli à Buda, Attilæ fratre, & in imperio collega appellatum volunt: sed verisimilior eorum est opinio, qui à Budinis, Scytharum gente, Boristhenis quondam accolis, cum Attila in Pannoniam egressis, originem ac nomen eam traxisse arbitrantur. Sunt qui Sicambriam prius dictam volunt à Sicambris, quos Antonius & Severus Imperatores, ad reprimendos barbarorum impetus, præsidio iis regionibus collocarant. Quæ tamen hodie nobis Buda dicitur, paullùm ab eo loco abest, ubi olim sita fuit: cui rei argumento sunt rudera, quæ infra Budam hodieque monstrantur. Vrbs ipsa in plures insulas sparsa est: quarum quæ Danubio alluitur, præcipua magnitudine est, Hydropolis aliàs, aliàs Iudæorum civitas cognominata. Huic, veluti alæ utrimque, ad meridiem arx regia, ad Septemtriones, suburbium superius prætenduntur. Quæ solem occidentem & montana respicit, altera urbis pars est, ceteris munitior, loco acclivi sita: cui

una

una cum arce, alterum suburbium, rarioribus alibi, alibi frequentioribus ædificiis, ab extremo occidentis angulo, meridiem versus ad Danubium usque procurrens, est circumfusum.

Pæstum.

IN ulteriori ripa Pæstum est, cum loci natura & operibus munitissimum; tum civibus frequens oppidum. Ab hoc ad Budam pons navalis transitum præbet. Inter Danubium & Dravum modicus fluit amnis, Larvis nomine; qui ad meridionalé latus Batoniorum móntium ortus, Vesprimium haud procul ab ipsis fontibus, inde Albam regalem, aliaque castella & oppidula præterfluens, ad Batham in Danubium se effundit.

Vesprimium.

VEsprimium episcopali sede nobilis inter primarias Hungariæ urbes olim fuit numerata. Arcem habet longè amœnissimam, in colle sitam: unde in subjectum oppidum, vel potius deformes vastati oppidi ruinas, agrumque vicinum longè lateque patet prospectus.

Palotta.

HInc ad plagam septemtrionalem Palotta est, arx angustis quidem pomœriis, sed fossa duplici, muris, & propugnaculis contra vim non maximam satis munita.

Alba regalis.

PRoximè hinc abeſt Alba regalis, ubi antiquitus Hungariæ reges & coronari & ſepeliri erant ſoliti, quorum tumuli non pauci hodieque exſtant in primario urbis templo, quo nullum fuit in univerſa Hungaria, vel operis ſtructurâ ſplendidius, vel annuis proventibus locupletius. Suburbia habet tria, vel quinque potius (nam quæ ad latera ſunt utrimque, canali infuſo ac maceriâ dirimuntur) ad quæ vix ullus patet aditus; quòd vicina omnia paludibus profundaque uligine teneantur. His incluſa urbs ipſa, nec loci tantum naturâ, ſed etiam operibus firmata, difficilem admodum habet oppugnationem. Aër exhalationibus, æſtivo præſertim tempore, corruptus, minus ſalubris eſt.

Sigetum.

INter Sarvim & Dravum Sigetum eſt, oppidum tripartitum, paludibus undique circumfluens, arx in primis: quæ & ipſa duplex eſt, interior & exterior, oppido veteri ſublicio ponte annexa, cui minus oppidulum, quod novum dicitur, à fronte objicitur.

Quinqueccleſiæ.

HInc quatuor circiter milliaria abſunt Quinqueccleſiæ, antiquum oppidum, in quo Solimannus Turcarũ tyrannus,

nus, Sigetum oppugnans, anno MDLXVI ut suo loco dicetur, fatis concessit. Sunt præterea aliæ multæ regiunculæ, oppida, arces & castella, quibus Danubii, Dravi, aliorumque minus nobilium fluviorum ripæ prætexuntur, sed quum nihil insigne habeant, aut narratu admodum memorabile, non est quod in eis heic explicandis, vel etiam recensendis, immoremur: præsertim quum rerum gestarum narratio multa alia describendi nobis materiam sit suppeditatura.

Proximum esse videtur, ut de incolarum moribus aliquid dicamus. Etsi vero Hungari de pristina animi ferocia, & quam majores eorum ultro affectabant, duritie multum remiserunt: Scythicæ tamen originis etiamnum vestigia multis in rebus apparent. Bellicosi sunt; sed equestri pugnę quàm pedestri habiliores. In acie ordines minus accuratè tuentur, & in pugnam temerè procurrunt, aut ruunt potius: unde nonnunquam non minus incitato cursu, quàm venerant, retrò feruntur. Hodie tamen diuturno bellorum usu edocti, artem militarem peritè ac strenuè tractant. Equitibus, quos Hussaros appellant, arma sunt, lancea, sagaris sive gladius Persicus, ad lævam; sub dextro femore verutum ephippio alligatum: plerique insuper siphunculum

lum tormentarium theca reconditum habent. Præfecti & centuriones cestram ferunt, magis ad cogendos ordines, quã hostis arma perfringenda accommodatam. Pedites (Haiducos vocant) nec galea, nec lorica utuntur, vestitu etiam à rusticis parum differunt. Arma illis sunt sclopus manuarius, aut si hic desit, hasta velitaris, sagaris, & à cingulo dependens securis. Sagum villosum, vel crudam vrsi aut lupi pellem humeris injiciunt, sub mento adstrictam: cives tamen pallia rubro, viridi, cœruleo vel ianthino colore gestant. Nobilium splendidus admodum & sumptuosus est vestitus, mulierum inprimis; mundus prætereà magni precii, & exquisitus. In victu ab antiqua parcimonia multum desciverunt, magnates inprimis; quorum mensæ & domesticis & exoticis deliciis abundant. Et temperantiam quidem, jam ante mira regionis ubertate præcipitem, vehementer impulit peregrinorum, ut credibile est, consuetudo, & qui eò ex omnibus Europę partibus confluxerunt, militum luxus. Comitiorum, quibus de rege creando ageretur, hæc olim erat ratio. In campis Pæsto propinquis, omnium ordinum, quibus suffragii jus, homines, constituto die, frequentes armati conveniebant. Omnib. auté maxima parte in regis ele-

ctione consentientibus, post faustos populi, novo regi gratulantis, acclamationes, dies Albam regalem indicebatur, qua die primùm Episcopus Strigoniensis, prolatis regiis, insignibus, præsentem multitudinem, utrum regem hunc sibi dari vellent, percontabatur. Vbi assenserant, obedientiamque erant polliciti: idem regem officii sui commonefaciebat, & dato ultra citraque juramento, solio impositum coronabat. Eum deinde episcopi & proceres è templo in regiam deducebant, Stephani primi vexillum & arma, antiquitus in eum usum asservata, præferentes. Qua verò fide erga reges suos fuerint, malo ex historia ipsa lector cognoscat. Illud certè constat, è tanto bonorum regum numero paucos fuisse, quibus non contra subditorum suorum contumaciam fuerit dimicandum.

II.

DE ADMIRANDIS HUNGARIÆ AQVIS DISSERTATIO.

Nulla omnino regio est, quæ aut plures, aut salubriores aquas habet, quam Hungaria. Proinde accuratam earum descriptionem hoc loco exhibere necessarium putavimus.

Vnde vero potius ordiar, quam ab ipsa urbe Buda, quam Hungariæ Reges ob loci situm, opportunitatem, & amœnitatem merito pro regia habuerunt. Hîc propter ipsam Danubii ripam calidæ sunt multæ, inter quas differentia major est, quam pro loci discrimine. Quædam enim non modo tolerabili, sed ita jucundo sunt calore, ut ad hominum lavacra naturæ benignitate singulari datæ esse videantur. Hujus generis sunt infra arcem regiam aliæ, regiæ vocatæ, vel propter vicinam regiam, vel quia regio opere ornatæ & conclusæ, vel quia in his Reges lavare consueverunt: aliæ communes, quibus saxum ceu nativa fornix impendet, quas Turcæ post occupatam Budam latius excavata

cavata rupe ampliores reddiderunt, cæterisque præferre dicuntur.

At quę supra Budam sunt, quarum alię item regiæ, aliæ hospitales à vicino ptochodochio dictæ fuere, balneis sunt inutiles, nisi refrigerentur. Sic enim quædam calent, vel fervent potius, ut in eas missum ovum non minus cito, quam ad luculentum ignem elixetur. Temperantur autem in balneis frigida, cujus ibi fons calidis ita contiguus est, ut qui haustum veniunt duabus urnis, eodem in vestigio altera calidam, altera frigidam haurire possint.

Ibidem est sub dio fons calidarum cæteris amplior, quem purgatorium vocavere, ea nimirum ratione, quod quemadmodum proditũ est, in purgatorio pœnas nocentium pro noxarum modo, alias acerbiores, alias mitiores esse, ita quædam insunt aquæ hoc in fonte discrimina. Nam qua in eum à Danubii ripa aditus est, subfrigida primum, mox tepida, & quo in eam penetraris altius, hoc magis calet. In recessu vero interiore tam est calida, ut ferri non possit. Est autem is calor haud dubie aquæ hujus proprius. Nam alia, quæ dixi, temperamenta verisimile est à Danubio accedere, qui crepidinem hujus fontis lambit, & cum vel modice excrescit, totum mundat, neque

tamen ita reſtinguit, quin caleat. Quin intra ipſam ripam, qua Danubio perennis curſus eſt, calidæ ebulliunt, ubi qui altius mergi volunt, lavare conſueverunt.

Porro hæ ad Budam thermæ (licet vero mihi hac voce in calidarum aquarum appellatione uti) quod alteræ, ut dictum eſt, infra, alteræ ſupra urbem eſſent, ex eo quoque invenere nomen, ut illæ inferiores, hæ ſuperiores vocarentur. Vtraſq; Turcæ, quibus tamen omnia vaſtare libido eſt, non modo non corruperunt, ſed etiam cultiores, ac per ſpeciem religionis quaſi auguſtiores reddiderunt. Nam Baſſa Mahometh, quem Tyrannus victor Budæ captæ, ac reliquis Hungariæ à ſe debellatæ partibus gubernatorem impoſuit, apud utraſque Dervifis domicilia, ceu cœnobia extrui curavit. Sacello etiam apud ſuperiores in colle vicino, qui ante vitibus conſitus fuit, poſito conſecravit locum memoriæ cujuſdam ejus ordinis, quem, dum viveret, ceu numen quoddam venerati ſunt Turcæ, & nunc mortuum, illoque in loco conditum religioſe colunt.

Sunt autem Dervifæ Turcis, quod nobis monachi, qui mendicato vivunt, quibus ex religionis, quam affectant, inſtituto uſitatum eſt, ſævire in corpus pro-

proprium, quod alii per inustionem stigmatum ferro candente, alii per incisionem, quæ fit novacula acutissima, quidam utroque modo faciunt, hoc crebrius, & crudelius, quo quisque sanctior & religiosior esse & haberi cupit. Est vero & in vestitu quædam inter eos diversitas, & sanctimoniæ affectatio. Nam alii veste lanea alba ad talos usque demissa amiciuntur, & calceati incedunt capite operto. Alii nudis pedibus & capite, imo toto pene corpore, nisi quantum pelles duæ ovinæ, aut caprivæ crudæ, quarum altera à fronte, altera à tergo ex scapulis propendet, tegunt. Quidam etiam unica pelle pudendas tantum corporis partes velant, cætera nudi. Gymnosophistarum dicas esse reliquias, quales India habuisse memoratur.

Sunt quidem hæc à narratione, quam de aquis institui, aliena. Sed cum huc delapsus sim, quid obstat, quo minus de Turcarum lotionibus plusculum addam? Cum omnes aquas Turcæ, ceu præcipuum Dei munus, summo honore dignantur, tum vivas potissimum, & fluentes, idque propter frequentes lavationes, quibus etiam crebrius per diem, non modo ad sordes corporis abluendas, sed ad scelerum quoque expiationes

uti

uti consueverunt, quod procul dubio ab aliarum gentium ritibus habent, quibus etiam sola aquæ aspersio inter Februa fuit. Sic Romæ olim ad portam Capenam, postea Appiam vocatam, aqua Mercurii dicta, alii alios aspergebant invocantes Mercurium, ut aspersi flagitia, & præsertim perjuria diluerentur. Sic traditur Peleus absolvisse Patroclum, & Acastus expiasse Peleum à cæde fratris sui Phoci, cum antea Aegeus Medæam aquæ aspersione lustrasset. Sic Orestem à sanguine matris expiatum esse memorat Pausanias in Corinthiacis, cum illum nemo lare suo, & hospitio dignaretur. Cujus loci hoc libentius memini, quod continet exemplum ritus vetustissimi accepti à patribus, quo rei atrocium criminum à consuetudine omnium & colloquio arcebantur. Sic Aeneas quoque apud Poëtam nostrum:

Ter socios pura circumluit unda.
Spargens rore levi.

Et idem, ceu multa sede pollutus inquit.

Tu genitor cape sacra manu, patriosque penates,
Me bello è tanto digressum, & cæde madentem,
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Quin

Quin in atriis templorum suorum positam habent aquam Turcæ eundem in usum, neque cuiquam nisi loto in ea ingredi fas esse arbitrantur.

Sed delectantur in universum plurimum lotionibus & balneis Turcæ, eoq; præcipuum apud eos pietatis opus est, instituere & condere balnea publica, nec id tantum viventibus gloriosum esse, sed etiam vita functis salutare putant. Hac ratione is, qui nunc rerum potitur, Solimannus tum alibi, tum Budæ in ædibus, quæ quondã fuerunt Archiepiscopi Colocensis, amplissimum balneum pro sua, suorumque salute fieri curavit, in quod è Danubio, per canales subterraneos aqua in multam altitudinem, ut est Budæ ad Danubium situs, ducitur. Ipsum balneum intus incrustatum & stratum est monumentis marmoreis, quæ antea in templis fuere posita, imaginibus tamen, si quæ insculptæ fuerunt, resectis, & toto opere perpolito.

Eadem gloria quæsita est ei, quem diximus Bassæ Mahometh, qui thermas Budenses ex ædificatis illis Dervisarum cœnobiis, conditorioque ejus, de quo diximus, illustriores reddere studuit. Hîc verò videre est mirabilem rerum commutationem. Nam quæ loca Hungaris incolumi & florente Buda voluptatis domicilia

micilia fuerunt, ea religiose ornarunt Turcæ, flagitiose contra prophanantes, quæ antea habita sunt pro sacrosanctis.

In thermis superioribus supra eos fontes, quibus ad lavacra usus est, sunt piscinæ calidæ, in quibus nascuntur, & vivunt pisces, qui in frigidam translati, emoriuntur. Sunt etiam calidæ in opposita Danubii ripa supra Pæstum*, sed minus celebres, propterea quod ita conjunctæ sunt alveo fluminis, ut ad quævis ejus incrementa corrumpantur.

Solent fere thermæ locis, in quibus sunt, aliquod nomen, & quasi lumen afferre. Ita nobilitatus est quondam sinus Baianus in Campania. Ita nunc quoque in Italia, Germania, & in quavis pene terrarum orbis parte clara sunt hoc nomine loca. Nonnulla etiam appellationem à calidis sunt sortita, ut in Thessàlia Thermopylæ, & in Germania oppida, quæ vocantur Badæ, hoc est, balnea. Sed fuerunt quasi in obscuro Budenses, nec aliqua ei loco celebritas accessit, à tanta calidarum copia & varietate, quod procul dubio eo evenit, quod reliquæ ejus urbis fortunæ atque opes hoc non exiguum alioqui clementis naturæ munus obscurarunt. Nam quis fuit in tota Europa locus, qui se Budæ com-

parare potuerit, sive situs amœnitatem, sive cœli salubritatem, sive soli fœcunditatem, sive aliarum quarumcunque rerum ad quoslibet usus, ad splendorem, denique ad luxum pertinentium ubertatem & affluentiam spectes: ut ne quid dicam de opportunitate, in qua non Hungarorum tantum, sed etiam multorum aliorum populorum defensionem, & salutem sitam fuisse quotidianis damnis, & periculis experimur. Quo gravior & acerbior est jactura, quam erepto nobis per Turcas hoc loco, fecimus. Sed facessant querelæ, quæ suum alibi locum sunt habituræ.

Nisi vero autoritate chronicorum nostrorum magno consensu urbem Budam à Rege Buda Attilæ fratre conditam, & nominatam esse tradentium impediret, ego, si qua alia conjectura de ejus nominis ratione faciunda esset, ob insignem calidarum eo in loco celebritatem, & copiam, pro eo quod Germanis quondam fuerit Bada, unius literæ inversione Budam ab Hungaris dictam esse suspicarer. Nam ea secundorum Pannoniorum loca, antequam huc Hunni immigrarent, Germanos seu Teutonas tenuisse, minime ambiguum est. Nec ita multum dissimili mutatione vocarunt Hungari Wesprimium, quod

Germa-

Germanis fuit Weiſbrun, hoc eſt, fons albus, qui loco nomen dedit, & etiamnum ibi ſub arce, quæ ſedes eſt Epiſcopi, oſtenditur.

Sed redeo nunc ad calidas, ac Danubii ripam legens Iſtrogranum, vel, ut nunc appellant, Strigonium pervenio, qui locus ſecundum Budam in Hungaria ſemper celeberrimus fuit, ſede Archiepiſcopi, qui idem Primas Hungariæ dictus eſt, inſignis. Hìc ad radices montis, cui impoſita arx eſt magnificentiſſime extructa, qua labitur Danubius, fons eſt tepidarum incluſus turri, in quam ex arce ductis eò per præceps muris deſcenſus patet. Ex eo tanta manat aquæ copia, ut quondam molam frumentariam verſarit, nunc machinam hauſtoriam ſimilem tympano impellat, qua aqua è Danubio per ſubterraneum cuniculum in eam, quam dixi, turrim admiſſa hauritur, & in arcem transfunditur. Hoc largior eſt fons alter haud magno inde intervallo, qui in piſcinulam quandam influens, in qua etiam media hyeme coaxantes ranas audias, aquæ tantum, quantum verſandis tribus quatuorve rotis molaribus ſatis eſt, fundit.

Supra Iſtrogranum, quod ex Iſtro & Grano mixtum eſt nomen, quod ibi fluvius Granus Iſtro miſcetur, non longè ab

arce Comaronienſi, quæ tenet oram cognominis inſulæ, quam Danubius prope Poſonium in duos diviſus alveos facit, à Septentrione veniens influit Vagus, cujus ripa ſupra Galgocium, quæ arx eſt familię Thurzonum, nunc maxime nobilitata eſt calidis, non propter vim earum ſalubrem tantum, qua omnes alias in Hungaria calidas ſuperare exiſtimantur, ſed etiam propter varium, planeque mirabilem eorum ortum. Non enim ullum certum fontem habent, ſed alveum fluvii ſequuntur, & ut is excreſcit & decreſcit, ita aut recedunt aut accedunt. Solent autem, quo magis exundat, hoc longius recedere, eoque qui lavare volunt, ſubinde alias atq; alias ſcrobes fodere, & quaſi puteos aperire coguntur. Id cum intra alveum eſt fluvius, fit in glarea, quod ipſius ſolum eſt: cum vero exit, in terra ſolida, & argilloſâ, in qua alioqui non reſtagnante fluvio nihil penè humoris exiſtit. Neque tamen in ripa tantum eruuntur calidæ, ſed etiam intra amnem, ſi fundum ejus pedibus ſuffodias. Calent autem immodice, nec ſunt idoneæ balneis, niſi temperentur, quod admiſtione frigidæ de proximo hauſtæ in proclivi eſt: ſed quia magis ſalutares eſſe creduntur ſine miſtura, qui medicinam inde petunt, defervere eas ſinunt, quod pro tem-

poris ratione aliàs ſerius, aliàs citius fit. Nunquam tamen ſic defervent, quin, qui in eas deſcendunt, tegete, ceſpiteve, aut ramis in fundum ſcrobis injectis, imas corporis partes adverſus ebullientis caloris vim munire cogantur. Eſſe autem eas adverſus diuturnos, ac pene deſperatos morbos efficaciſſimas, multis experimentis cognitum eſt, & adhuc indies magis ac magis cognoſcitur.

Sunt calidæ aliæ non longe à caſtro Trincinio, quod ad ejuſdem fluvii Vagi ripam eſt, ſupra Galgocium. Illæ ſuaviter calent, & ſunt limpidiſſimæ, atq; ideo jucundiſſimi ſeceſſus loco fuerunt Comitibus Zepuſienſibus, qui paulò ſuperiore ætate Trincinii ſedem habuerunt.

Nec multum recedunt à Vago calidæ ad arcem Baimocium, quæ item eſt Thurzonum, quibus hoc honoris habuit Alexius Thurzo, qui in ea familia nomen illuſtre, & ſecundum regiam aliquamdiu ſummâ poteſtatem apud Hungaros obtinuit, ut eas quadam quaſi ciſterna ex quadratis facta lapidibus, qui etiam deſcendentibus ſcalarum & ſedilium uſum præbent, includendas curaverit. Etſi verò minus ſpatioſæ ſint, tamen manifeſtum in ipſis eſt diſcrimen caloris, eoque diremptæ ſunt muro, & quæ moderatius calent, delicatioribus

tantum

tantum patent, aliæ vulgi usibus sunt relictæ.

In Comitatu Thurocio, qui eodem in tractu est, sunt pari penè intervallo à Vago distantes calidæ ad Stubnam vicum, qui est civium Cremnicensium. Hæ instar insulæ sunt: clauduntur enim rivo, qui ex propinquis montibus delabens, aquam vehit gratam lavantibus, cum sitiunt. Nam ad temperandum calidas nunquam, nisi quis recentibus aquis admissis continuo lavare velit, adhibentur: idq; etiam tum fit modicè, quod per se minus intemperate caleant.

Non dissimiles sunt his calidæ aliæ inter Cremniciam & Semniciam, quæ sunt duo præcipua oppida inter montana, de quibus supra dixi. Manãt ex rupe sic nata, ut lavantibus tectum & umbrã præbeat.

Nec tantum ipsæ pro salubribus habentur, sed etiam cœnum earum, quod Plinius quoque inter calidarum utilitates retulit, medicam vim creditur obtinere. Itaque in eo quidam, ulcerosi præsertim, ibi propè, qua fluunt, volutari solent.

Sunt etiam Semniciæ calidæ, quæ vocantur Roselinæ; in quibus canales, per quos fluunt, & sedilia ex lignis facta, sic sunt accreto lapide ceu cortice tecta, ut prorsus lapidea videantur.

In Comitatu Liptovienſi ad pagum, qui vocatur Divi Ioannis, fons eſt tepidarum, ad quem plærumq; confugiunt, quibus ſcabie, aut pſoris fœdata eſt cutis. Exilit verò is, & magno impetu eiaculatur potius, quam emittit aquas, qua Vago ortus & curſus eſt ex propinquis montibus, qui Carpati caput eſſe exiſtimantur. Nuſquam enim altius ſeſe attollunt, nuſquam pluribus & horridioribus jugis aſſurgunt hi montes, ad quos Carpatum pertinere dixi. Altitudinis indicium eſt, nix in his perpetua, unde accolis Germanis mõtes nivis vocantur: aſperitatis, quod iidem montes ſunt impervii. Slavorum lingua appellantur Tatri, hoc eſt, Tatari, quod in regionem Tartarorum, qui veteribus ſunt Getæ, vulgi opinione protendantur. Hungari vocant Tarczal, quod nominis lingua eorum à nudo, ſeu deraſo vertice ductum eſſe videtur. Nil enim aliud, quam eminentiſſimi, & prorſus nudi populi ſunt hi montes. Ego rupes Sarmatiæ eſſe crediderim, quarum mentio fit apud Solinum, quo loco Germaniam inter Hercynium ſaltum, & rupes Sarmatarum extendi ait. Nam ex Sarmaticis montibus, neque ita longe ab his rupibus Viſtula, quem Plinius alio nomine Viſtillum, alii Iſtulam vocant, ortum ducit, quo amne

præter

præter Solinum plæriq; alii Germaniam finiunt. His verò rupibus subjectum est Zepusium, ubi aquæ sunt, quæ & ferrum erodunt, & lapidescunt, & animantes potæ enecant, de quibus, quę alio ad te scripto complexus sum, attexam.

Et ut ab ea, cui consumendi ferri vis inest, ordiar: hæc est ad Smolniciam, quod oppidum ad arcem Zepusiensem pertinet, intra montes, unde quondam metalla eruta sunt. Extrahitur autem haustro, quale Istrograni esse diximus, quod ab aqua superne illabente impulsum circumactu, & raptu funis, cui implicati sunt crebri nodi coriacei, implet fistulas, per quas funi meatus est, quibus adjuncti canales effusam aquam excipiunt, & emittunt sub dium in alveos in terram defossos, quibus ferrum, sive vetus, sive novum imponitur. Quæ minora sunt ferramenta, citius adeduntur. Solea ferrea equi consumitur intra horas viginti quatuor. Quæ vero sunt crassiora, cujusmodi sunt, quæ in vicini montis ferrariis hunc in usum fiunt, postquam per aliquot dies aquæ immersa jacuerint, ceu limo quodam obducuntur adesa, eoque statis temporibus abluuntur, & purgantur, ut in id, quod superest ferrum, aquæ vis efficacius penetret. Quod pereso ferro manet luto simile, cuprum est (ipsi

vulgo cementum vocant.) Id in fornace conflatur in maſſam, & deinde per aliam fornacem eliquatum fit putius, & purgatius, & ad omnes uſus non minus utile, quam quod fit ex metallo, cujus multæ ſunt fodinæ eodem in loco.

Non dubium eſt autem, quin aqua hanc vim à venis metalli trahat, præſertim à pyrite æris (vulgus marcheſitam appellat) cui ibi vim ineſſe acerrimam, vel ex eo ſatis apparet, quod aqua pluvia, aut alio quo humore terram ſubeunte, ex ipſo id, quod vocant vitriolum, quod Græcis chalcanthum, Latinis atramentum ſutorium eſt, deſtillat, pyramidatim concreſcens ſtiriæ in modum. Hoc vitriolum nativum dicitur. Eſt enim aliud factitium, quod quidem eodem in loco in hunc fit modum.

Solent ſectores metalli ligna intra fodinas tranſverſim poſita, in quibus itur & ſtatur, pyrite minutius cæſo conſpergere, & eo quaſi viam ad firmanda veſtigia ſternere. Ei ſimul atque penetrantibus in terram aquis permaduerit, innaſcitur vitriolum, idemque ubi madere deſierit, ita conſolidatur, & adhæreſcit lignis, ut non poſſit niſi ferro reſecari. Reſecantur autem ſic concreta, & è fodinis per utres extracta mittuntur in alveos. Hîc aqua fervente ſuperfuſa vitriolum

lum omne, quod pyriti innatum eſt, reſolvitur, fitque aqua tota viridis, quæ deinde in alia vaſa transfunditur, ut depuretur: depurata autem transfertur in caldarium plumbeum, in quo ſuppoſito magno igne bullit ad horas octo, aut novem, donec per evaporationem, quam vocant, denſetur, influente tamen ſemper eodem liquore, ut eadem caldaria plena maneant. Poſt infunditur in cados ligneos, quibus inſertæ virgæ ſunt, quibus accreſcit. Atque hoc eſt, quod vitriolum coctum ſeu factitium vocāt. Ac tantum quidem de aquæ ferrum rodentis vi & efficacia,

Nunc de lapideſcente dicam, cujus generis multæ ſunt in Zepuſio, inter quas etiam nonnullæ non aliter, quam calidæ, aut aliæ ſalubres frequentantur. Et ineſt his quoque caloris, vel potius teporis aliquid, quod cum aliis temporibus, tum per hyemem manifeſtius ſentitur. Eſt vero inter eos fons eximius unus ad pagum, cui apud Zepuſienſes Germanos à rivi murmure nomen eſt, qui inſtar piſcinæ ſtagnat, & plurimam aquam reddit, in quam item ligna injecta, lapide ceu cortice obducuntur. Alter ad pagum qui vocatur Ioannis. Nam qui anguſtius patent, ſtatim atque paululum profluxerint, lapideſcunt, & ita in tumulos

mulos exurgunt, cujusmodi videtur unus ad pagum Divi Andreę nomine, alter cæteris insignior prope arcem Zepusiensem ad ædem Divi Martini, quæ sacrarum ædium in Zepusio princeps est. Hîc scaturit, vel erumpit potius aqua bullienti similis, cum magno intus murmure & strepitu, qui admota aure non sine admiratione auditur. Erumpit autem non foras tantum, & sub dium, sed etiam meatus sub terra quærit, & quacunque vadit, lapis fit, quanquam qui subterranei sunt ejus generis lapides, pluviis aquis irrigata humo, & eo madore diutius manente dissolvuntur. Solent autem accolæ his sic dissolutis & effossis ad opera cementaria vice calcis uti. Qui verò sub dio nascuntur, ipsissimi sunt lapides, tofi dicti, levitate & raritate non dissimiles pumicibus. Et quia verisimile est iis aliquid glutinis inesse, qui in propinquo ædificant, libenter his ad muros faciendos utuntur, eoque quidam illic dictitant, se domos ex aqua factas inhabitare.

Cæterum non minus miraculi videtur habere quibusdam, quod in monte arci contiguo, intra specum quendam aqua per hyemem fluida, æstate ita congelata sit, ut refrigerandis poculis glacies inde peti soleat.

Porrò

Porrò quod ad fontes bibentibus ex eo animantibus letales attinet, eorum unus eſt ad radices rupium Sarmaticarum, quæ, ut dictum eſt, Zepuſio imminent. Alii duo hoc famoſiores ſunt in Comitatu Saros, quaſi in conſpectu arcis cognominis, cujus ipſe præfecturam teneo. Nam qui eſt ſub rupibus, aves tantum ex eo guſtantes necare dicitur. At alios duos non tantum avibus, ſed etiam aliis animantibus noxios eſſe ferunt. Quam ob cauſam, ne cui pecori ad eos aditus ſit, diligentiſſimè caveri ſolet. Naſcitur autem ad alterum eorum, qui propemodum intra Eperienſium noſtrorum fines eſt, plurimum aconiti, cui herbæ venenum ineſſe vel unicus Ovidii verſus arguit:

Lurida terribiles miſcent aconita noverca.

Atque hinc quidem videri poteſt fons hic virus trahere. Tales enim, ait Plinius, ſunt aquæ, qualis terra, per quam fluunt, qualeſque herbarum, quas lavant, ſucci. Sed eſt re vera ſingularis hujus fontis natura, ut qui & creſcente luna augeri, & deficiente minui, atque adeò in interlunio prorſus deficere dicitur tanto omnium conſenſu, ut mihi ne libuerit quidem, an hæc aliter ſeſe haberent, explorare.

Fontes acidos, & quas acidulas vocant, consulto prætereundos putabam, quod minime rari sunt in Hungaria. Ne non tamen ex his quoque aliquid delibē, celebres sunt in primis, alter in Comitatu Zoliensi ad arcem ejusdem nominis, cui oppida, quæ dixi vocari montana, subjecta sunt: alter ad oppidum, cui mons regius nomen est, uterq; spleneticis manifesto sensu mederi dicitur.

Ad oppidum Bistriciam, Germani Neusolam vocant, ubi fodinæ sunt æris opulentissimæ, quæ nunc appellantur regiæ, quod in iis impendio regis opera fiunt, cuniculus quidam reddit aquam viridem, ex qua ubi subsedit, chrysocolla colligitur.

Quia verò in Comitatum Zoliensem, dum aquas persequimur, ventum est, non possum præterire hiatum terræ iisdem in locis famosum ob pestilentes expirationes, quibus aves supervolantes, & quævis alia animantia extingui constat, manifesto eorum experimento, qui ejus rei periculum facturi, gallum, gallinamve, aut felem, aut canem longo hastili alligatum supra eum hiatum, qui septo ad arcendas inde animantes circundatus est, protrudere & efferre consueverunt, quibus non aliter vita subitò eripitur, quam si strangularentur,

Est

Eſt i tem ad eum fontē, qui potus aves, ut dictum eſt, enecat, ſub Sarmaticis fontibus acidula, quæ etſi eandem cum eo ipſo fonte originem habere creditur, tamen plæriſque ita grata eſt, ut etiam ægroti inde potum petant.

Alia eſt non longe ab arce Leva in Comitatu Barſienſi, quę niſi ab haurientibus pleno vaſe perferatur domum, ſaporem amittit. Itaque qui occurſantibus, ut fit, potum ex ea præbent, vel modicè exinanito vaſe, quod reliquum eſt, effundunt, & ad hauriendum denuo recurrunt. Addunt quidam aliud hoc prodigioſius, ſed minus ſimile vero. Nempe, ſi pura ſit, dum hauritur, & pura permaneat, donec offeratur ægrotis, qui eam mirifice appetere ſolent, quod hoc certiſſimum ad ſalutem ſignum ſit. Sin turbida reddatur, plane pro deplorato haberi ægrotum. Itaque eos, qui potum tantum infirmis, non omēn petunt, antequam hauriant aquam, turbare ſolere. Sed hoc ſuperſtitioſorum credulitati relinquamus.

Ab hac quoque rurſus acida alia haud magnis diſtat ſpaciis, ad quam etiam prope eſt fons, qui tumuli in ſpeciem aſſurgit, & ſubinde mutat fluxum lapideſcente nimirū ſtatim aqua, quam effundit, & ideo ſic excreſcente ea parte, qua

aliquan-

aliquandiu manarit, ut sese aliam in partem, quæ humilior est, effundere cogatur, quod quidem quasi circuitu quodam fit per omnem fontis oram.

Ad arcem Fileg, quæ inde in Boream euntibus occurrit, in Comitatu Neograd, specus est, in quo superne destillans aqua, continuo durescit. Ibi verò videas ceu statuas hominum consistere saxa ex hac destillatione concreta. Albus his color est, nec per se tantum sunt alba, sed etiam coloris albicantis usum trita pictoribus præbent.

Sunt præterea ad fines Eperiensium fontes salsi tantæ acrimoniæ & salsuginis, ut inde sal excoquatur, qui ad omnis generis condituras, & in primis ad coctūram piscium cæteris utilior esse existimatur. Habetque locus nomen ab his fontibus: Hungaris enim Sowar, hoc est, Salisburgum dicitur. Nam & arx ejus nominis supra eum locū fuit, meæ item præfecturæ subjecta, antequam dirueretur. Esse autem salis vim magnam in aliqua eorum montium parte, in quibus promontorii instar arx extat, vel hoc magno est argumento, quod in adversa quoque eorum parte salsi fontes sunt, qui item sua appellatione insigniunt locum. Sed quod in eo inquirendo aut eruendo minus elaboratum est, id non ne-

gligentia hominum , sed procul dubio Regum provisione evenit , ne immodica copia salem vilescere contingeret.

Abundat enim Hungaria sale nativo, qui lapidicinatum modo cæditur in Maromarusio. Item in Transsylvania, ubi etiam piscinæ salsæ stagnant , à quibus omne pecus arceri necesse est : Compertum est enim earum immodico haustu, qui salsugine incitatur, enecari. Insunt tamen in his alicubi pisces , quod minus mirum videri posset, cum ipsum quoque mare piscium parens salsum sit, nisi hîc non in aqua salsa , sed in ipso pene sale vivere viderentur. Sunt autem sapidissimi, carne duriuscula , & ita impatientes aquæ dulcis, ut in eam missi, exanimentur.

Quia verò in salis mentionem incidimus, etsi de ejus, qui cæditur, ortu diversæ sint sententiæ , aliis nimirum eum cum ipsa conditione rerum ab initio extitisse , aliis postea natum esse affirmantibus : tamen ut vero propius sit, ex humore aut succo salso concretum esse, & adhuc concrescere, ea potissimum ratione ostendi posse judico , quod in ipsis lapidicinis salis , ubi solidissimus fuit, inventa sunt varia instrumenta ad humanos usus facta. Quodam etiam in loco Transsylvaniæ gallina incubans cum ipsis

ovis

ovis incorrupta. Quin nunc quoq; plærunque magna carbonum vis eruitur cum sale. In Desiensi fodina, qua nullà est in Transsylvania altior, paucis ante annis excisum est de medio sale ingens robur trabi simile, tanta duritie, ut ne ferro quidem facile cederet. Sed idem extra fodinam extractum sic computruit intra quatuor dies, ut primis digitis concerpi & conteri posset. Idem solet carbonibus dum exciduntur durissimis, simul atque sub dium prolati fuerint, evenire. Hæc verò vulgus in illa confusione rerum, quæ Noë temporibus in cataclysmo fuit, ibi oppressà, aut alio quopiam casu eò abrepta esse interpretatur.

Flos salis alibi copiosior, alibi raro in reliquo sale reperitur: gemmam vocant, quod gemmarum quarundam in morem pelluceat. Faciunt autem hoc reperto judicium salicidæ docti experientia, salem, qui sequetur, aut impurum futurum, aut citò desiturum, neque temere ipsos in eo falli compertum est.

Abundat & vicina Polonia hujus generis nativo sale saxeo, sed hic minus syncerus & solidus est Hungarico. Non enim fibris tantum, aut venis, sed etiam ingenti mole terræ plurimis in locis distingui-

ſtinguitur, ac præterea longius abeſt à ſuperficie terræ. At in Hungaria putei, in quibus cæditur, minus alti ſunt uſque ad ſalem. Quin in Tranſſylvania etiam ſcopuli inſtar extat ſupra terram ad ripam Mariſi fluvii, cuius item alveus ſal eſt, non longe ab oppido Thorda ſalinis celebri. Fitque ſæpenumero, ut arantes etiam vomerem in ſalem impingant. Sed eum nemini cædere licet, ne quid vectigalibus regiis decedat. Liberum eſt tamen Ciculis, qui ut dictum eſt, nonnullam Tranſſylvaniæ partem tenent, ſuo in ſolo, quantum domeſticis eorum uſibus ſatis eſt, ſumere. Sed hæc de ſalſis obiter dixiſſe ſufficiat.

Reſtant inter calidas, quibus quidem aliquod in Hungaria nomen eſt, unæ prope Waradinum, quæ vocantur divi Ladiſlai, ſive quia hîc divus Ladiſlaus laverit, ſive quia ad ædem ei ſacram, & ſepulchro ipſius claram, ac tum ipſius, tum Sigiſmundi Imperatoris, qui hoc quoque condi voluit, munificentia opulentam pertinet. His pleriq; inter omnes Hungarię calidas primas tribuunt, in quo tamen amœnitatem potius earum, quam ſalubritatem ſpectare videntur. Sunt enim calore periucundo & temperato, præterea tam puræ & perſpicuæ, ut ſpeciem rerum, ſi quæ injiciantur: amplio-

ampliorem, quam ſunt ipſæ res, reddere videantur.

Sunt tamen præter calidas multæ aliæ ſalutares frigidæ in Hungaria, cujuſmodi dixi eſſe in Zepuſio geminas, quæ lapideſcunt. Sed hoc tempore maxime prædicatur, & à multis frequentatur fons ad Miſſam, qui locus à Caſſovia haud magno diſtat intervallo. Hujus aqua lapidibus, qui prope fontem ſunt, fervefactis calefit, & ita balneis idonea redditur. Non deſunt tamen, qui vim medicam, quæ aquæ ineſſe creditur, ipſis potius lapidibus, quam aquæ tribuendam eſſe cenſeant, quod ipſa per ſe pura ſit, & bibentibus gratiſſima, & contra, quam ſolent aliæ ſalutares, nullam miſturam reſipiat.

Verum unde medendi vis inſit aquis, & cur aliæ aliis atque aliis morbis, nec una ratione eædem omnibus medeantur, præterea unde ipſis tot, tantæque in calore, ſapore, odore differentiæ, denique cur aliæ concreſcant, aliæ ferrum rodant, id ſpeculatoribus, & venatoribus naturæ phyſicis explicandum relinquo. Georgius Agricola, cujus in hoc genus rebus inquirendis & excutiendis ſtudium atque judicium exquiſitiſſimum eſſe libri ab eo doctiſſimè ſcripti arguunt, multa de his egregia prodidit eo in opere,

quod de natura eorum, quæ de terra effluunt, inscripsit, & idem plura se traditurum pollicetur in iis libris, quos se de medicatis fontibus instituisse ait, ad quorum lectionem sese referent, qui de his volent plenius erudiri. Nam mihi hæc scripturo propositum non fuit, ut docerem quenquam, sed ut voluntati tuæ, Sigismunde Baronum optime, quæ mihi semper imperii vice est, morem gererem.

Quantum autem tuum quoq; semper fuerit studium in his eruendis, quæ in cognitione naturæ rerum atque locorum vel obscura sunt, vel aliquam admirationem habent, cum omnes, qui te norunt, sciunt, tum scriptus à te, & nuper editus de Moschicis rebus liber abunde ostendit. Nam quid est in tota nobis ante paucos annos minus nota regione, aut in moribus gentis Moschicæ, aut in ejus religione, quod non scitissime explicaris? Quid? quod Hungaris nostris pene ignotæ essent origines suæ, nisi tu confirmasses Moschis confinem esse, & ad imperium eorum pertinere Iuhram, vel, ut alii dicere malunt, Iugariam, unde & initio profecti sunt Hungari; & nomen traxerunt. Ex Scythia quidem venisse eos nemini erat dubium, sed de nomine disceptabatur, cum alii ab Hunnis & Avaris

voce composita dictos esse assererent, alii aliud comminiscerentur. At vero propius est ab Iuhra manasse Hungarorum nomen, cum nunc quoque Slavorum lingua, qua nulla per universam Europam latius patet, Iuhri, vel prima syllaba nonnihil, ut fit, levigata Vhri vocentur. Mitto, quod te quoque confirmante credibilius visum est, montes, quos vocant Ripheos non extare his locis, unde tanto veterum scriptorum consensu Tanais decurrere dicitur. Sed hæc qui magis perspecta habere volent, ex commentariis tuis, & his addita chorographia petent.

Mihi hîc narrationem de aquis, quæ in Hungaria aliquo miraculo, aut novitate quapiam insignes sunt, finire libet, vel relinquere potius. Nam si omnes, quæ aliquid admirationis habent, consectari velim, persequendum esset mihi quicquid est in Hungaria amnium, quorum quidem tantum est, ut non facile dare possis æqualem regionem, quæ pluribus & majoribus abundet, ut non immerito veteres Hungari in regni sui insignibus quatuor ductus, totidem præcipuorum fluminum, Danubii, Savi, Dravi, & Tibisci imaginem repræsentantes, usurparint. Sed nihil tamen de his dicam.

Est laus amnium præcipua, esse navi-

bus

bus ferendis idoneos, & piscosos. Quo in laudis genere quotusquisque est extra Hungariam fluvius, qui illis, quos dixi, quatuor conferri queat? ut ne quid commemorem de aliis Hungaricis amnibus, qui etsi magnitudine illis minime pares sunt, tamen non minus fere sunt admirandi. Nam præter hoc, quod optimorum & saluberrimorum piscium copia affluunt, feraces auri plærique habentur, in ea præsertim veteris Daciæ parte, quam Hungariæ attribui & Transsylvaniam vocari diximus, quorum etiam nonnullis ab auro nomen est. Cujusmodi sunt tres cognomines Chrysi dicti, & qui Hungaris vocatur Aranyas, hoc est, aureus, ne quis Hungariam ea, quæ Thraciæ, Hispaniæ, Lydiæ, Indiæ, amnibus gloria est, carere existimet. Rapiunt autem non ramenta tantum auri perenni cursu, sed etiam plærunque massulas, alias pisi, alias nucis avellanæ castaneæve, aut juglandis magnitudine, quoties videlicet inundant, imbribusve, aut alia quapiam eluvie, aut arte inducta corrivatione aucti ripas, & ea, per quæ currunt loca, subruunt. Nec commentitium est iis in locis effodi quandoque massas, alias puri auri, alias concreti saxi aliquid habentes, quæ aliquot uncias usque ad semilibram, & libram, & hoc amplius appen-

dunt. Quin liceat mihi dicere, cujus certos autores notæ fidei homines habeo, effossas esse, quæ quingentorum, imo quę mille florenorum non modo pondus, sed etiam precium elevarint.

Sed ut ad illos principes Hungariæ fluvios redeam, Danubium, Dravum, Savum norunt vicini Germani, Norici, Carni, apud quos eorum fontes sunt, & prima incrementa, quæ etsi præclara sint, nequaquam tamen tantum laudis addunt amnibus, quantum hi, mox atque solum Hungaricum attigerint, consequuntur. Hîc enim continuo & plenius & spaciosius fluunt, eoque navigationi magis habiles sunt, piscibusque & majoribus & melioribus magis abundant, ut omittam, quod diversis generis piscibus, quibus fere prima est gloria, extra Hungariam carent. Quapropter de his, quorum origines magis notæ & celebres sunt, plura referre supersedebo, dicamque de Tibisco tantum, quem Hungaria sola totum sibi vendicat.

Oritur in Maromarusio sub altissimis Carpati jugis, fonte quidem exiguo, sed tantis subito incrementis, ut intra tertium milliarium, pro temporis tamen, quod incrementa moderatur, ratione, patiens sit navigiorum, quibus sales evehuntur. Est autem fere justum unius na-

vigii

vigii onus, quater mille frusta salis, (vulgo lapides vocant, singula viginti plus minus pondo librarum. Fertur autem intra Maromarusium cursu citatiore, ut inter montes, qui plurimos in eum torrentes & rivos effundunt, estque ibidem limpidissimus, solo glareoso, sed idem ex illis Maromarusii angustiis eluctatus, simulatque campestria attigit, incepit lentius, & fluit impurius, admisso præsertim amne Zamos, qui ex Transsylvania ruens, viam præbet navibus, quibus sales Transsylvanici exportantur, videturque tum sane prorsus alius esse, non ob augmenti tantum, aut cursus sui modum, sed quod etiam piscium in eo ratio est diversa. Nam intra Maromarusium non habet fere alios, quā quos aquæ puriores alunt, & eorum quidem omnis generis copiam ingentem. At foris quem facile dabis piscem, cui quidem in profluente vita est, quem non suppiditet Tibiscus? quique & sapore & magnitudine non præstet sui generis piscibus, qui aliis in fluviis capiuntur?

Porro de copia quid dicam? Habet quidē Hungaria multos amnes piscosissimos, inter quos etiam eos numero, qui ex vicinis terris immittuntur. Sed neq; inter hos, neque inter alios, quorum fontes apud Hungaros, sunt, ullus proventu piscium

ſuperat Tibiſcum, ut eum, quod de Pado Italiæ dixit Poëta, merito fluviorum Regem in Hungaria dicere poſſis. Etſi vero idem contingit fluviis, quod terræ, nempe quod ut hæc fruges, ſic & illi piſces, nunc uberius, nunc malignius producant, tamen nullum eſt tempus Tibiſco, quo piſcibus non magis, quam cæteri amnes abundet. Quin, qui propius ad ejus ripam in æſtivis præſertim caloribus accedunt, manifeſto ſenſu experiuntur eum piſculentiam quādam, ut ſic dicam, redolere. Nec deſunt vulgo, qui dicant duas ejus partes aquam, tertiam piſces eſſe, non eo quidem ſenſu, quod ita ſeſe res habeat, ſed quod plane admirandam, peneque majorem fide multitudinem piſcium ſignificatam volunt.

Vidimus ipſi autumno ſuperiore, cum illuſtrem Comitem Nicolaum à Salmis exercituum regiorum ſummum in Pannoniis imperatorem ultra Tibiſcum ſequeremur, apud arcem Thokai, quo loco Bodrogus, idem valde piſcoſus amnis, Tibiſco miſcetur, mille nos carpiones, quos nonnulli cyprinos dicere malunt, citra delectum tamen, ſicut eos capi contigit, venire centum numis Hungaricis, hoc eſt, floreno, ut vocant, uſitato, quem pro præſentis rei monetariæ illis in locis ratione aureus

unus

unus ſuperat ſimilibus numis quinquaginta. Eadem eſt plærunque luciorum vilitas ſub hyemis fere initium. Vtor autem lucii appellatione in deſignando piſce notiſſimo, quem quidam lupum dicendum eſſe contendunt.

Sed quanto longius profluit Tibiſcus, quantoque propius accedit ad Danubium, in quem ſeſe exonerat è regione Sirmii, hoc minus eſt precii piſcibus, propter vim eorum infinitam, præſertim cum exundat. Nam tum in plana effuſus, omnia late loca non tam aquis, quam piſcibus complet, & quædam quaſi ſtagna fecit, quæ agreſtes ante, quam decreſcit, & in alveum redit, clauſtris quibuſdam obſepiunt, ne refluentibus aquis una recedant piſces. Hic itaque non aliter, atque in piſcinas concluſi tenentur: neque tamen raro contingit, ut impetu facto, qualis eſt acie congredientiũ, fractis ſeptis perrumpant, ſpemque & laborem agreſtium fruſtrentur. Quo fit, ut hi pro magno negocio habeant, invitare populares vicinos, ut piſces emptum veniant. Sed quod proverbio dicitur, ultroneas putere merces, vix unquam magis quam hîc habet locum. Nam ſæpe aut nulli veniunt, aut ſi qui veniunt, tantillo licentur, ut nihil pene interſit, gratuitone eis des, an vendas.

Quin fit quandoque, ut ne gratis quidem dati, aut quasi relicti ad prædam, auferantur, sed porcorum gregibus, qui subsidentibus aquis immitti solent, lætam pastionem, & quasi piscationem præbeant, ipsa tamen piscium multitudine nihilominus sic plærunque superante, ut magna eorum pars emoriatur, & computrescat, unde tam tetri nascuntur halitus, ut qui iter faciunt, ea loca non aliter, quã quæ peste infecta sunt, vitare consueverint. Nec hoc foris tantum, sed etiam in oppidis evenire solet, dum nimirum tanta vis piscium in forum curribus & equis infertur, ut qui eos importarunt, destituti ab emptoribus sese clanculum relictis piscibus inde subducunt. Quo fit, ut plærunque edicto cum pœna proposito, caveri soleat, ne quis illinc nisi ablatis una piscibus, discedere audeat.

Sed longius quam institueram, progressus sum, illustris Baro Sigismunde, non tam admiratione harum rerum, quæ mihi jam maxima vitæ meæ parte in Hungaria exacta admirabiles esse desierunt, quam studio efficiundi imperata tua incitatus. Non inficior tamen plæraque à me minus explicate tradita, neque non multa præterita esse, quæ cum hac narratione congruebant. Verum id ceu data opera à me factum est, quod his & aptius

aptius & uberius explicandis locum alibi ſum habiturus.

Porro quod in epiſtola ad me tua duorum admirandæ naturæ fontium, alterius quidem ex Arriani, alterius vero ex Saxonis Grammatici hiſtoria mentionem facis, equidem dubitavi aliquamdiu, an non hoc conſilio à te factum eſſet, ut quæ de ſimilibus miraculis aliorum autorum ſcriptis prodita ſunt, ea mihi cum his noſtris conjungenda, ac componenda eſſe innueres. Etſi vero huc inclinabat animus, tamen cum viderem mihi nihil relictum eſſe præter colligendi laborem, quem ſibi quiſque legendis libris præſtare poteſt, ſatis eſſe putavi, breviter, unde hæc potiſſimum peti poſſint, indicare.

Miratur Plinius ab Homero non eſſe factam calidorum fontium mentionem, neque hoc ſane injuria. Quem enim mihi facile dabis autorem, qui non quam accuratiſſime in rerum locorumve deſcriptionibus recenſere ſoleat, ſiquid forte occurrit, quod uſitatum naturæ curſum excedit, aut aliqua novitate eſt inſigne. Imo quem dabis, in quo non aliquid ejuſmodi reperias?

Sed inter eos, qui cæteris diligentius, quaſique ex profeſſo de his Latine ſcripſerunt, primas obtinet Plinius, qui non

contentus quaarum, fontium, & flu minum miracula capite elegantissimo in secundo naturalis historiæ suæ libro complecti, rursus iisdem aquis & aquatilibus describendis etiam peculiarem dedit librum, qui ejusdem operis est tricesimus primus. Secundum Plinium multa de his invenias prodita à Seneca in naturalium quæstionum libris. Nec pauciora pene à Vitruvio de architectura libro octavo; quædam etiam à Strabone, Pomponio Mela, Solino referuntur, ut alios prætercam recentiores. Sed omnium instar haberi potest unus Georgius Agricola, qui quæcunque ejusmodi sunt, vel in Græcis, Latinisque scriptoribus à se lecta, vel domi forisque observata, vel accurata indagatione comperta, non modo in illos, quos supra dixi, libros retulit, sed etiam causas eorum quam scitissime studuit explicare, quanquam quotam quæso hæc factura essent partem, si cætera quoque, quæ adhuc ignota latent, proferrentur? qua in re nescio profecto, secordiane magis an ingratitudo hominum accusanda veniat, qui dum ista pro neglectis habent, non satis æterni illius architecti Dei potentiam & magnitudinem admirari, & ejus beneficia agnoscere videntur.

Memini te mihi aliquando de quodam in Carnis lacu, cui à pago vicino

Zirk-

Zirknitz nomen est, non minus pene miranda dicere, quam à me de Hungariæ aquis sunt memorata, ut is videlicet quotannis fere sub autumni finem, aquis derepente ex abdito venientibus, magnamque piscium copiam secum trahentibus inundetur: appetente vero æstate aquis rursus abdita petentib. exarescat, hac quasi perpetua vicissitudine, ut quo in loco paulo ante piscatus fueris, in eo messẽ & sementem facere, simulq; si libeat venari, ac rursus vertẽte anno piscari possis.

Sed quid obstat, quo minus loci faciem, ut eam ab aliis delineatam accepisti, de tuo sermone describam. Claudi ajebas eum circumquaque montibus, è quibus rivi quidam ignobiles suo quisque alveolo procurrant, ab orientali quidem plaga tres, ab australi quatuor: singulos quo longius fluant, hoc minus scatere aquis, terra nimirum ipsas combibente, donec postremo absorbeantur scrobibus saxeis, ita natis, ut humano opere excisæ videri possint. Hîc aquis ita redundantibus, ut recipi non possint, fieri, ut regurgitent scrobes, neque solum nihil aquæ admittant, sed etiam quicquid receperint; effundant tanta rapiditate, ut refluxus impetũ ac cursum equiti quamvis expedito, & fugienti, ægre effugere liceat. Itaque quacunque pateat locus

(patere

(patere autem eum ad sesquimilliarium minus laxa latitudine) diffundi aquas & lacum efficere, qui plerisque in locis decem & octo cubitos altus sit, & ubi minimum profundus est, æquet justam humani corporis mensuram.

Hæc forte minus mirabitur, cui constabit esse eadem in regione amnes, qui terras subeant, & ubi per longa spacia mearint, rursus effluant, quosdam etiam ubi semel sese abdiderint, amplius non comparere. Nam hinc occultis quibusdam canalibus illas in lacum manare aquas ratiocinabitur, præsertim si cognorit ibidem aliquot in locis esse cava montium amplissima, in quibus aquarum ruentium fremitus exaudiantur, & earum quasi stagna sint, unde illos venire rivos hoc minus dubium videri potest, quod constat iisdem anates vivas evehi, quas nemo nescit in locis subterraneis, in quæ auræ aditus non sit, degere non posse. Sed quia pro comperto habetur illam aquarum accessionem non duci è montibus per rivos, aut alios occultos meatus, sed venire ab illa scrobium regurgitatione, & quasi vomitu, rursusque eodem redire, & resorberi, idque statis temporibus fieri, quis hæc miraculo carere negabit?

Auget vero hoc quoq; rei novitatem, quod

quod fere non minus celeriter recedunt aquæ, quam accesserunt, non per scrobes illas tantum, sed universa pene terra eas non aliter recipiente, quam si per cribrum diffunderentur. Quod cum fieri sentiunt accolæ, continuo grandioribus ejus meatibus, quoad fieri potest, obstructis agminatim advolant ad piscationem, quæ ipsis non modo jucunda, sed etiam perfructuosa est. Nam & piscium vis ingens facile capitur, aqua nimirum eos destituente, & apud vicinos precium habent, ad quos conditi sale exportantur. Invenias autem ibi plerunque, quod jure mireris, lucios (nam his magis quam aliis piscibus abundat hic lacus) qui duos cubitos excedant, quæ res satis magno est argumento, eos intra illas voragines nasci, aut saltem augeri oportere, cum fieri non possit, ut dum foris stagnant aquæ, ad tantam magnitudinem perveniant.

Porro siccato lacu fit messis, qua parte solum consitum, & idem rursus conseritur ante quam inundet. Solum ipsum firmum, lætum, & in primis ita ferax graminis, ut post vigesimum diem secari soleat. Non est tamen eadem ubique fœcunditas. Nam magna ejus pars præter juncum nihil gignit.

Quo vero magis cognobilis fiat lacus, libet addere, quod tu ceu insignem notá

adie-

distare eum ad unius milliarii spacium ab arce Carnis pariter & Italis dicta Postonia, quam Venetos ajebas Maximiliano Imperatori, dum percuteretur fœdus, quod inter eos postremum fuit, ademisse, & dum pacta conventa præstari oporteret, reddidisse, in illustri ejus loco tanquam pro trophæo relictis his versibus, quos ibi tum legeris,

Postonia victa rediens post omnia victor
Leviades affert pulchra trophaa domum.

Quia vero id quod dictum est de aquarum ad statum tempus accessione, me quorundam fontium, quibus idem accidere dicitur, admonet, etsi mihi externa minime persequenda duxi, facere tamen non possum, quin de duobus dicam, ut tibi illud quasi pensem, quod ex Arriano & Saxone Grammatico de totidem fontibus annotasti.

Alter est calidarum laudatissimarum in alpestri Rhetia apud Favarias inter rupes eminentissimas, qui cum fere deficiat mense Octobri, redit mense Majo, sicque rursus usque in autumnum exuberat, ut saluberrimis ejus aquis mola frumentaria impelli possit.

Alter hoc magis mirabilis est in Helvetiis, quem recens Helveticorum chro-

nicorum ſcriptor tradit ſiccari menſe Auguſto, quo tempore novis ibi nivibus cadentibus pecus inde mitiora in loca depellitur, neq; poſteà manare, niſi menſe Iunio, cum nudatus nivibus mons rurſus paſtioni pecoris patet. Manare autem eum è petra in foſſam propinquam ad aquandum pecus comparatam, per intervalla tamen, & bis tantum quotidie, mane videlicet & veſperi, rurſumque toties occultari, & has quotannis retinere ac continuare vices, donec rurſus, ut dictum eſt, Auguſto menſe ſiccetur. Dicas aquationi pecoris ſingulari Dei munere in illa horrida ſolitudine datum hunc fontem eſſe, idque bruta ipſa agnoſcere, ut quæ eum ferè ultro, quoad ibi in paſcuis ſunt, ad id tempus, quo fundit aquam, petere ſoleant. Quin additur experimento cognitum eſſe, quod idem fons tam impatiens ſit ſordium, ut ſi quid impuri in eum miſſum, merſumve fuerit, per aliquot deinde dies non compareat, nec aut manè aut veſperi aquæ quicquam reddat. Montem, in quo is fons eſt, Helvetii ſua lingua appellant Engſtle, ea in regione, cui ab amne Arula Argew fecêre nomen.

III.

ORIGO
HVNGARORVM.



VNde primum ſint progreſſi Hungari, quos duces habuerint, quasque in Europa res geſſerint, paucis perſtringemus. Ceterũ tanta fuit Hunnorum immanitas, ut veteres quidam ſcriptores, niſi eorum originem ad ipſos cacodæmonas referrent, fidem ſcriptis ſuis inventuri ſibi non viderentur. Iornandes Gothicarum rerum ſcriptor, Alirumnam neſcio quam è Scytharum gente, ſupra modum humanum vaſta corporis mole mulierem, à Filmero Gothorum rege in exercitu repertam, quod parum ſecunda eſſet pudicitiæ fama, in exſilium ſcribit ejectam: quæ quum ultra Mæotidem paludem in ſylvis ac ſolitudine miſera erraret, dæmonũ compreſſu gravida multos monſtroſos partus ediderit, è quibus deinde Hunnorum genus ſit propagatum. Alii Satyros & Faunos, quidam Magogum (quem impudenti mendacio faciunt Iapeti filium) generis produnt conditores. Sed commenta hæc fabularum amatoribus relinquamus: illud certum eſt, ab extremis frigidiſſimiſq; ſeptem-

ſeptentrionum oris eo prodiiſſe. Teſtatur hoc Hieronymus, Stridonii in Dalmatia Hungariæ vicinia natus. *Ab ultima*, inquit ad Oceanum ſcribens, *Mæotide, inter glacialem Tanaim & Maſſagetarum immanes populos, ubi Caucaſi rupibus feras gentes Alexandri clauſtra cohibent. eruperunt Hunnorum examina, quæ pernicibus equis huc illuc volitantia cædibus pariter ac terroribus cuncta compleverunt.* Addunt alii occaſionem, fabulæ itidem quam hiſtoriæ propiorem: Venatores quoſdam ſuperata Mæotide palude, per quam fera fugiens tranſitū ante ipſis monſtraverat, in Europam penetraſſe, ac cæli temperiem terræque fœcunditatem, multum ab illa Scythici cœli inclementia diverſam vehementer admiratos: eorum prædicatione infinitam hominum multitudinem excitatam, ſterili deſerta regione in Pannonias & vicina loca commigraſſe. Prima dimicatio Hunnis cum Alavis fuit; quibus pulſis, caſtra ad Tibiſcum uſque promoverunt. Pannonias tum Gothi incolebant, gens bellicoſa quidem quæ tamen & ipſa Hunnorum furori cedere coacta fuit. Et Oſtrogothi quidem, quibus belli fortuna pepercerat, cum Hunnorum gente poſtea adfinitatibus coaluerunt: Veſtrogothi verò in Myſiam & Thraciam ſeſe receperunt.

Valentis Imperatoris consensu, hac lege, ut essent veluti propugnaculum Romani Imperii, ejusque fines ab Hunnorum incursionibus tuerentur. Pacti hujus fidem Romanorum rupit avaritia: quorum exactionibus & annonæ direptionibus irritati Gothi, Maximum præfectum cum suis internecione deleverunt. Cædem hanc ulturus Valens, cum magno exercitu contra Gothos proficiscitur: sed prælio victus, in tugurium curandi vulneris gratia profugit: quod quum ab equitibus discurrentibus incensum esset, in eo ipse crematus est. Gothi victores inde ad Constantinopolim castra ponunt, urbi gravissima quæque minitantes, sed Theodosii, qui interea ad imperium pervenerat, prudentia magis & æquitate, quam vi & armis repressi, magno terrore omnes illas regiones liberarunt. In hoc Gothorum cum Romanis dissidio Hunni fines suos longe lateque, à Taurica Chersoneso ad Tanaim usque & Danubium, ipsamque adeo Germaniam protulerunt: quin Antiochiam etiam obsiderunt, & Armeniam fœdum in modum vastarunt. Theodosio immatura morte sublato, Arcadius & Honorius filii in Imperio successerunt; quorum illum Orienti, hunc autem Occidenti pater vivus præesse jussit; simulque tutorem

torem Arcadio Rufinum, Honorio Stiliconem attribuit, quorum consilio & auctoritate rempublicam administrarent. Atque Arcadio quidem cum duobus grave certamen fuit: nam & Rufinus tutelę prætextu partem imperii ad se rapere conatus est (qui tamen, ea cognita militibus perfidia, ante Arcadii tribunal trucidatus est) & Cajanus dux Gothicus magnas in eum copias comparavit: sed navali prælio superatus, atque ex ea clade profugiens, interfectus est. Arcadio mortuo, Radagisius Gothorum ducenta milia in Italiæ fines duxit: sed eum fame, rerumque omnium penuria oppressum, Stilico ab Honorio missus, facile profligavit. Inde Alaricum Gothici exercitus reliquię regem crearunt; cumque Stilico illius consiliorum particeps esse argueretur, Imperatoris jussu necatus est. Alaricus urbem Romam biennium fere obsessam cepit; pacemque postea cum Honorio fecit. Fractis ita Romanorum viribus, Gothisque in Italia dominantibus: Hunni temporibus insidiantes, Keva duce, Istrum trajecerunt, & cum multis hominum milibus vicina pervagati, tandé cum Macrino & Theodorico Veronensi, qui Germaniam tum regebat, prœlium tam crudele, tamque atrox commiserunt, ut uno die supra

centum viginti quinque hominum milia desiderata sint; inter quos etiam Keva, Hunnorum dux, fuit. Sed parum ad summam belli hæc victoria profuit Romanis. Nam quum ad persequendas hostiū reliquias viriū satis non haberent; Hunni victi in victores ultro irruerunt. Post multas asperrimas pugnas (in quibus præter quatuordecim Hunnorum milia, duo etiam duces, Bela & Cadica, periisse dicuntur) Romanorum vires ita tandem attritæ sunt, Macrino præsertim extincto, ut Pannonias Hunnis relinquere fuerint coacti. Romanorum metu liberati Hunni, nihil prius habuerunt, quam ut in locum amissorum ducum novum sibi regem subrogarent. Omnium suffragia inclinarunt in Attilam, Beneduci filium, totius gentis, nobilitate, ac belli artibus, calliditate etiam & perfidia, facile principem. Is inito principatu, gentem satis ante inquietā ad arma statim commovit. Buda ergo fratre Pannoniis per absentiam suam præesse jusso, & assumptis Ostrogothorum, Gepidarum, Marcomannorum, Quadorum, Herulorum, Suevorum auxiliis: primum impetum in Mysiam utramque, Thraciam, Macedoniam, & Illyricum convertit. Theodosius Imperator, & postea Martianus, facta cum Vandalis, Parthis, & Vestrogo-

chis

this pace, quantas potuere copias hosti opposuerunt, misso inter alios Arnestide; qui egregie primum represso Húnorum impetu, avaritia tandem & publicam rem & privatamin summum discrimen adduxit. Attila cum ingenti præda domum reversus, Budam fratrem, de quo affectati regni suspicionem conceperat, strangulari jubet. Quum vero Romanum imperium Gothorum opibus munitum cerneret: rationem excogitavit, qua Valentinianum Cæsarem, & Theodoricum Gothorum regem inter se committeret, missis ad utrumque litteris, quibus ut alter ab alterius perfidia sibi caveret, monebat: quæ fraus animadversa ut utriusque animos artius copulavit, ita magno in Attilam, quem pariter metuendum sibi videbant, utrumque odio inflammavit. Et Theodoricus quidem statim filios suos, summa rei militaris scientia præstantes viros, ingentem exercitum contrahere jussit. Aetius etiam provinciç Narbonensi præfectus, cujus opera & consilio Valentinianus præcipuè utebatur, etsi cunctanter & timide initio agere videbatur, sive animi ignavia, sivè portentorum, quæ frequentia ex Italia nuntiabantur, religione; tandem tamen Francorum opibus confirmatus, magna cum alacritate, & ipse omnia ad bellum ne-

cessariæ comparavit. Attila consilia sua detecta, & ad hostium salutem versa ægerrime ferens, quingenta hominum milia coëgit, & Germaniam, Galliamque pervagatus, omniaque cædibus atque incendiis miscens; tantum sui terrorem excitavit, ut vel ad nomen ejus, non aliter quam furiæ cujusdam, orco progressæ, omnes nationes contremiscerent. Aëtius tamen, adjunctis Gothorum, Frãcorum, Saxonum, & aliorum auxiliis, oblata rei benè gerendæ occasione, cum invicti roboris exercitu ad Tolosam ei se objecit. Tum demum trepidare Attila, non tam hostium metu, quam locorum iniquitate, quod omnia ad fugam clausa sibi videbat; circuire tamen, suos orare, obsecrare, ut priorum victoriarum memores, ad extrêmum usque spiritum fortiter dimicarent: victoribus non Galliam tantum & Germaniam, verum etiam Italiam, quarum omnium omnes vires in hunc exercitum collectæ essent, prædæ fore. Poscentibus signum tamen pugnæ ante meridiem proponere noluit, ut si prœlium adversum committeret, uti prædixerant harioli; fuga suorum nocte adjuvaretur. Instructa tandem utrimque acie, tanta contentione pugnatum est, ut diu anceps victoria esset. Inclinato jam die, Hunni in fugam vertuntur, centum

octoginta ſuorum milibus deſideratis. Attila fugiens in caſtra ſe recepit, in quorum medio magnum impedimentorum cumulum comportari, ſeque, ſi hoſtes caſtris potiti eſſent, interfici & comburi juſſerat: ne vivus in hoſtium poteſtatem perveniret. Sed Aetius receptui canens, Gothis quoque, quorum rex in prælio ceciderat, domum redeundi auctor fuit. Attila, hoſtium ſive torporem ſive imperitiam conſpicatus, pro victore ſe gerere, minas ac cædem ſpirare, regiones omnes, quæ ad Rhenum, Amiſiam, Viſurgim, & Albim ſunt, perſultare, editis ubique inhumanæ crudelitatis exemplis. Tandem quum in Pannoniam redeundi conſilium cepiſſet, Iſenaci in Thuringia paucos dies quieti & ocio dedit. Ibi comiter acceptis præter morem, variarum gentium legatis, epuliſque & ludis magnificentiſſime celebratis: Sicambriam, (quæ Buda hodie eſt) profectus, in omni voluptatum genere ſe volutavit. Nec tamen vaſtus animus diu quieſcere poterat: ſed per duces exercitatiſſimorum militum habito delectu, totus in eam cogitationem incumbebat, quomodo totius orbis imperium ad ſe rapere poſſet. Id vero facile videbatur, ſi Italiam ſibi ſubjugaſſet. Per Styriam igitur & Dalma-

tiam profectus, omniaque, quacunque ierat, populatus, Ticino superato, ad Aquileiam castra ponit, Carnorum metropolim: quam per triennium obsessam, & à civibus constantissime defensam, expugnavit tandem, & sine ullo sexus aut ætatis discrimine interfectis omnibus, solo æquavit. Hac ejus crudelitate multi tota passim Italia exterriti, ad vicinas maris Adriatici insulas confugerunt; & quum aliquandiu apud piscatores latuissent, perspecta loci opportunitate, multis quotidie affluentibus, urbem quasi in medio mari condere cœperunt; quæ paulatim ad eam perducta est magnitudinē, ut una totius Italiæ dignitatem jam facilè sustineat, ac regina maris dici mereatur. Ita Aquileiæ interitus, Venetiarum origo fuit. Eversa, ut diximus, Aquileia, Paduam, Vicentiam, Veronam, Mantuam, Cremonam, Ferraram, Ravennam, Mediolanum, partim deditione, partim vi cepit: nullibi nec victis, nec deditis parsum. Liguriam inopia magis sua, quam victoris satietas intactam conservavit. Roma supererat: à cujus oppugnatione civium preces, Leonis præsertim pontificis, qui obviam ei processerat, revocarunt. Reversus inde in Pannoniam, ita vixit, ut nullum scelus in eo incredibile videretur. Tandem dum in nuptiis,

quas

quas cum Bactrianorum filia sumptuosissimas apparaverat, avidius sese vino ingurgitasset, dormiens, apoplexia, ut credibile est, correptus, & repentina sanguinis eruptione suffocatus, ad generũ Cereris descendit. Tyranni mors divulgata, incredibile est, quantam ubique lætitiam excitarit. Orta inter filios de regno altercatione, quod pater rebus inordinatis discesserat: primum Gepidæ, inde Ostrogothi ab imperio desciverunt: nec quidquam propius fuit, quam ut multis infeliciter tentatis prœliis, Hunnorum genus & nomen, quo se etiam qui inter Gothos remanserant, ultro formidine quadam abdixerant, funditus deleretur. Hæserunt tamen aliquandiu in extremis minoris Scythiæ, Macedoniæ & Græciæ oris. Pannonia verò tota in Valamiri Gothorum regis dominatum concessit; à quo etiam Martianus Imperator pacem magna pecunia redemit. Porrô ab eo tempore in tantum excrevit Gothorum potentia, ut totius pæne Italiæ imperium obtinerent. Et jam ante quidem Vandali, Genserico duce, Romani Imperii insignia Carthaginem transtulerant; quam sex & nonaginta annos tenuerunt, quum interea Roma omnibus ornamentis spoliata jaceret: in qua tamen inane Imperatoris nomen dicis causa decem u-

 surpa-

ſurparunt, Maximus, Avitus, Majorianus, Severus, Antonius, Olybrius, Elicerius, Iulius, Ambroſius, & Momyllus, qui quod puer à patre Imperat. creatus eſſet, Auguſtulus eſt appellatus. Hunc Odoacer in tanta rerum omnium perturbatione nullo negotio imperio ſe abdicare coëgit, & cum Pannoniæ dominatu Occidentis Imperium convinxit: cui octo alii reges ordine ſucceſſerunt. Exorti mox ſunt Longobardi, qui primum Pannonia, deinde Italia Gothos expulerunt. Ita miſera Pannonia novos iterum hoſpites accedit. Sed nec Longobardi diu in Pannonia ſunt commorati. Evocati enim iterum à Narſete in Italiam, Hunnorum reliquiis Pannoniam inhabitandam cõceſſerunt, hac lege, ut ſi forte res in Italia minus ſuccederet, poſtliminii quaſi jure reciperentur. Sic ergo ſub Alboini regis auſpiciis per Sirmium in Italiam profecti, regnum ibi condiderunt. Hunni ut ad regnum, ſic ad ingenium quoque ſtatim redierunt. Nam in Bavariam, Franconiã, & Thuringiam, Cachanno duce facta excurſione, non pro ſpe accepti (Lothario enim Germanorum & Francorum rege mortuo neminem fore putabant, qui latrocinia ipſorũ compeſceret) pro præda plagas domum retulerunt. Rediit tamen non multo poſt Cachannus, magnum nu-

merum præstigiatorũ, & in diaboli schola eruditorum, secum adducens. Horum artibus, Dei permissu, effectum dicitur, ut Germani longe maximam acceperint calamitatem, Hunni vero cum opulenta præda ad suos sint reversi. Ea res magis accendit quam debilitavit Germanorum animos: quorum rex Sigebertus, prædones hos & veneficos ita ultus est, ut pacem ab eo petere fuerint coacti. Post mortem Sigeberti, ut ignominiam superius acceptam delerent, in Thuringiam iterum irruerunt, & edita ingenti strage, præter prædam grandi pecunia incolas multarunt. Sequentes aliquot anni per quietem exacti, & ab eorum excursionibus libera Germania fuit: sive quod eos jam prædæ satietas cęperat, sive proprii soli commoda ita delinierant, ut suis cum securitate frui, quam cum periculo aliena rapere mallent; sive, quod vero similius est, paucitati suorum diffisi, quorum magnum numerum tam crebræ expeditiones absumserant, nationes prævalidas lacessere non auderent. Interea vis infinita hominum utriusque sexus & ætatis, (quippe in qua ducenta & sedecim virorum milia fuisse dicuntur) è Scythia interiore in Pannoniam erupit: eo consilio, ut vel cum popularibus suis se conjungerent, vel si

tantam

tantam multitudinem non caperet regio, novas quærerent sedes. Ducto igitur per Roxolanos, Moscovitas, & Sarmatas pacato agmine: tandem apud Hunnorum reliquias in Dacia consederunt. Imperabat his Almus, è posteris Attilæ: qui diviso in sex castra exercitu singulis ducem præfecit: ipse cum suis seorsim tetendit. Hinc nonnulli septem castrorum nomen quo nostrati lingua regio ea indigetatur, fluxisse existimant. Almo à finitimis occiso, Arpadius suffectus est. Is per exploratores de summa Pannoniæ fertilitate, & pænè solitudine edoctus, per legatos cum Suate, Europeæ Sarmatię tum principe egit, ut pars aliqua agrorum inculta suorum habitatione assignaretur; misso dono, equo pretiosissimè pro gentis opibus, instructo. Gaudere primò Suates, vacuis cultores repertos; mox audita eorum multitudine & rapacitate, tergiversari, ac moras nectere. Advenis autem promissum urgentibus, & regionem tanquam sibi debitam & equo emtam reposcentibus: Suates exercitum contra novos colonos Danubium traduxit: quo fuso ac profligato, Suates fugiens in Danubio submersus est. Arpadius superato Danubio, brevi regionem omnem suæ potestatis fecit, & inter duces distribuit. Zabolcus in finibus Pannoniæ,

noniç, ad oppidum Ciquaronam consedit. Iulæ Transylvaniæ pars attigit: à quo Alba Iulia nomen accepit, Cundo Nyris ripa: Lehelo Mysia assignata. Verbulcus cum suis circa Balatonium lacum habitare jussus. Orso Sciana regio cessit. Divisa hoc modo regione: arma tamen non prius posuerunt, quam excusso penitus Scythico jugo, gens universa Hungari appellati. Inde in finitimos populos ferro & igni grassati, alios vi, alios amicitia sibi adjunxerunt. Cum Polonis in primis gravissima bella gesserunt: Bohemos etiam & Moravos non semel lacessiverunt. In hoc rerum statu Taxilus Bojorum rex, qui contra Carolum magnum arma sumserat, Hungarorum auxilia adscivit. Quare Carolus, devicto Taxilo, primum ipse Hungariam infestis armis est ingressus: deinde misso Pipino filio, omnem superiorem Pannoniam Hungaris ademit. Gaba tunc tamen Hungarorum rex erat. Is vecors animi, per legatos bellum administrabat: ipse interea Budæ luxui & voluptatibus indulgebat. Ibi oppressus & in vincula conjectus (in quibus sibi ipsi manus attulit) sero nimis didicit, inter arma hostilia dormiendum non esse. Carolus nihil pulcrius sibi aut præclarius existimans, quá una cum imperio Christianam propagare religioné; nihil prius habuit,

habuit, quam ut ab idololatria abductos, vera religione imbueret. Quare Herculis & Martis idola destrui jussit, & templa ædificari, in quibus salutaris verbi divini fieret sementis. Contumacibus arma abstulit, diruitque oppidorum muros, gravi singulis imposito tributo. Lindeutus quidam, homo potens & factiosus, sed Carolo vivo nihil movere ausus, quam primum de morte ejus nuntium accepit, novarum rerum studium præ se ferre cœpit, & rationem inire, Hungarici regni in integrum restituendi, & ab exterorum servitute vindicandi. Quare Ludovicus Pius, cui Hungaria & regiones propinquæ patris testamento obtigerant, periculum hoc minime negligendum ratus, confestim exercitum coëgit, ut in ipso ortu tumultum compesceret. Nec verò Lindeutus segniter rem agebat; sed Carinthiam, Dalmatiam & Bavariã populatus, majori cum virtute, quam successu venienti Ludovico exercitum opposuit. Armis inferior, ad montes, quibus Pannonia & Mysia diffiniuntur, confugit, quumque in Cæsaris potestate se futurum promisisset, in gratiam est receptus. Sic iterum domitis, spes una in Cæsaris morte supererat: cui quum tres essent filii, facile providebant Germaniã brevi intestino bello distractum iri. Quæ

spes

ſpes quum eos feſelliſſet, aliquãdiu quieverunt, ſed in omnem rerum turbandarum occaſionem intenti, & magnam irarum molem animo volventes: quam haud multo poſt, non in Germaniã tantum, ſed in Galliã quoq; & Italiam effuderunt. Dici non poteſt, quam multa inauditæ crudelitatis & libidinis exempla paſſim ediderint. In Italia quidem cũ exercitu eis occurrit Berengarius: ſed magna accepta clade, pacẽ ab eis pecunia redimere eſt coactus. Vix Italia egreſſi erant Hungari; quum adſunt Saraceni: nec profecto vim eorũ ſuſtinuiſſet Italia, niſi Albertus Hetrurię dux laborantibus rebus opem tuliſſet. Is poſtea ab ingratis Italis pulſus, Hungaros in Italiã evocavit: qui ſpoliis opulentę regionis pellecti, iterque optime edocti, anniverſariis pæne excurſionibus eam miſere afflixerunt; & Berengarium ſecundùm tributarium ſibi fecerunt. Hoc modo excluſi Italia in Germaniam arma tranſtulere, quæ tota tum principum factionibus æſtuabat: qui tamen communi periculo reconciliati, validũ exercitum cõpararunt, & tripartito agmine in hoſtem duxerunt: ſed victi ac profligati Bavariã univerſam & Franconiã victoribus diripiendã reliquerũt. Inde Thuringię imminebãt: ubi infeliciter tentato prœlio Burcardus dux cũ magna illu-

illuſtrium virorum manu cæſus eſt. Tum demum Germaniã percurſare Hungari; agere, rapere, ferre omnia, ſacra, profana; incendia cædibus miſcere; nullumq; crudelitatis genus prętermittere. Tot ac tātę Germaniæ calamitates Ludovici Imper. animum ita curis obruerunt, ut in mediis turbis, mœrore confectus, deceſſerit. Ei in imperio ſucceſſit Conradus: huic Henricus, cognomento Auceps. Ab hoc tributum Hungari, quod duo proximi Imperat. eis perſolverunt, ſuperbe admodum & non ſine minis efflagitarunt. Recuſante Imperatore (quod id ad dignitatem Imperii minuendã magnopere pertinere videretur) ingens Scytharum, Sarmatarum & Illyricorum multitudo, ceu denſa aliqua nubes in Italiam & Germaniam ſeſe effudit, tantamque procellam excivit, ut Germania in cæde ac ſanguine ſuorum civium pænè nataret. Nec verò tum, ut antea nonnunquam unam vel alteram regionem tempeſtas hæc amplexa eſt: ſed quum in Sueviam primum incubuiſſet, in Galliam tranſiit; inde ad Rhenum retrolata, Haſſiam, Saxoniam, Thuringiam, Franconiam, & quicquid interjacet regionum, fœdiſſime proſtravit & afflixit. Henricus Imperator, hoſtium multitudine territus, ſuis ſe locis continebat: nec tamen hoſtem, niſi ex occa-
ſione,

ſione, aſſiliebat. Qua ratione multos non pabulatores tantum & moratores excepit; verum etiam primarium Hungarorum ducem inopinato oppreſſit. Hungari vitæ ducis ſui metuentes, magnam pecuniæ vim lytri nomine obtulerunt. Quũ vero pecuniam hanc è rapinis & præda coactam aſpernaretur Cæſar, Hungaris aſſentientibus novem annorum induciæ factæ ſunt. Vix dum hi exierant; quum ecce iterum adſunt Hungari, tributum multo quam ante ferocius repetentes. Sed Imperator; qui interea ad vim ſeſe diligenter comparaverat, tributi loco canem mutilatum & ſcabie deformem ad ipſos mitti juſſit. Hac contumelia magis accenſi, pro uno mutilo cane trecenta hominum milia remiſerunt: quorum tanta fuiſſe ſcribitur crudelitas, ut major ne excogitari quidem poſſit. Tandem verò, poſtquam Deo viſum eſt modum ſtatuere ipſorum ſævitiæ, Imperat. Henricus tantis eos viribus, tantoque impetu aggreſſus eſt, ut omnis Europa contremuerit. Nam centum & quinquaginta hominum milia occiſa, quinquaginta milia capta feruntur, præter eos qui palantes paſſim & ſparſi in fuga perierunt. Sed ut horrenda hæc clades à Germania eos paulliſper avertit; ita prædæ cupiditas in Italiam rurſus pellexit. Eorum conatu

intellecto, Berengarius tertius rursus eis argenteam offam, ut antea majores ejus non semel, objecit: qua sopitus paullulum Toxys (hoc enim nomen regi ipsorum erat) præteritæ cladis à Germanis acceptæ ultionem unice animo volvebat. Defuncto igitur Henrico Imperatore, audendum sibi aliquid ratus, noviq; Imperatoris Othonis animum tentandum, in Saxoniam frustra irrumpere est conatus. Paucis post annis, dum civilibus dissensionibus Otho distinetur; & à rebellium quibusdam instigatus, & prædandi libidine, delendæque ignominiæ cupiditate incensus Toxys, immanem exercitum contraxit, Germaniamq; non uno loco invasit. Otho, reconciliatis interea Principum animis (nam & qui eis auctores veniendi fuerant, nihil magis quam liberari eis quamprimum cupiebant) firmissimas copias undique collegit, nullibi occasioni defuturus. Interea præda graves Hungari Augustam Vindelicorum properant, quo maxima vis auri & argenti rerumque pretiosarum è vicinis regionibus comportata ferebatur. Ibi eos assequutus Imperator, in campis Vindelicis ad Læchum flumen, extremum agmen moratur, dum reliquus exercitus sub signa cogeretur. Hungari inopinato hostium adventu perculsi, aciem pro loci

ratione instruunt, Bohemis ad impedimentorum custodiam relictis. Mox signo dato, magnis animis utrimque concurritur, dum hi pro focis & aris, illi pro vita & præda pertinacissime pugnant. Initio pugnæ non parum trepidatum est in Germanorum acie. Hungari enim (quod in tanto bellatorum numero facile erat) extentis cornibus utrimque Imperatoris aciem amplexi; in orbem se circumagebant, jamque à lateribus & à tergo incurrebant. Ibi principes quidã, ab Othone nuper in gratiam recepti, ut ea se dignos ostenderent, globo facto, primam Hungarorum aciem perruperunt. Mox circumvecti, obvium quodque agmen disjicere, cædere, ferire: ibi buccinarum strepitu, armorum fragore, virorum clamore, equorum hinnitu, morientium gemitibus terra ac cœlum compleri. Post acrem conflictum, Hungari perruptis ordinibus, & cornibus nudatis, præcipites in fugam abiëre. Inde jam non pugna, sed cædes fuit. Pars magna, ubi locus fugæ deest, Lœchum ingressi, vel aquarum vorticibus hauriebãtur, vel ubi ad adversam ripam nando evasissent, nec per præruptam crepidinem eniti possent, vel retro ægerrime terram repetebant, ibiq; ab hostibus trucidabantur; vel egredi non ausi, finẽ vitæ in aqua

 habu-

habuerunt. Non pauci quum feſſi in proximos vicos confugiſſent; ab inſequenti hoſte tectis incenſis vivi combuſti ſunt. Toxys rex captus, & quatuor alii principes, capite poſtea luerunt. Hic exitus fuit invicti, ut ſibi videbatur, exercitus. Nam & ipſi dicere non dubitarant, niſi vel terræ hiatu abſorberentur, vel cœli ruina opprimerentur, nullam vim humanam tantam eſſe, quæ vel aſpectum ipſorũ ſuſtinere poſſit. At enim vis conſilii expers mole ruit ſua: & odit ſuperbos, ſceleris eſtque ultor Deus. Feſſus jam ſum tot hominum ſtrages, regionum & urbium direptiones, incendia, cædes commemorando; tanto magis, quod quum magnam orbis partem lumen Chriſtianæ religionis illuſtraſſet, noſtri tamen Hungari nõ tantum in denſiſſimis falſorum cultuum tenebris ſedere maluerunt, ſed etiam omnibus viribus ſalutarem illam lucem extinguere ſunt conati. Lætior jam ſe rerum offert facies, Hungarorum animis ad Chriſtianam religionem converſis, totaque gente ad humaniorem cultum paullatim traducta. Et profecto, perierant Hungari, niſi periiſſent. Hæc enim calamitas initium eis fuit ſalutis.

IV.

HISTORIA
REGUM HUNGARIÆ.

Gayſca ſive Geyſe pater S. Stephani Regis Ungariæ, primus regum Chriſti fidem profeſſus, baptizatus fuit ab Adelberto Epiſcopo Pragenſi.

Ann. Chriſti 909. vel ſecundum Abrahamum Babſca, Anno 969. naſcitur Stephanus, qui tandem canonizatus fuit, baptizatur per dictum Epiſcopum Pragenſem.

Circa eadem tempora Theodatus Princeps Apuliæ, quem Rex Geiſa profugum in aula ſua alebat, quique Stephanum infantem ex ſacro Baptiſmatis fonte ſuſceperat, Cœnobium quod cum adjuncto pago extruxit, nomen fundatoris ſui, Italice Thata obtinuit, noſtro autem ſeculo appellatione Dotis innotuit.

I. Anno 954. vel ſecundum alios 1006. D. Imperator Henricus ſororem ſuam Giſetam Regi Stephano in matrimonium locavit: poſt hæc univerſa Ungaria ad Chriſtum converſa eſt. Rex ipſe ſancte vivebat, ſummum templum in monte Strigonienſi condebat, illudque liberaliter dotabat. Adhæc S. Martini cœnobium

in altiſſimo monte locabat; Templum item ſummum in Alba regali, ſepulturam Regum, compluresque alias fundationes, plane regia munificentia fieri curabat. Obiit Anno 1038. ſepultus Strigonii in ſummo Templo.

II. Petrus Stephani ex ſorore nepos in regno ſuffectus eſt, ſed propter tyrannidem inde ejicitur, cui Abba ſucceſſit.

III. Abba triennium ad regni gubernacula ſedit, ſed cum majorem quam anteceſſor tyrãnidem exerceret, Petrus Abba expulſo reſtituebatur. Illo rerum potiente Hungaria paulatim à fide Chriſtiana deficiebat. Regnavit autem Petrus annos quinque, menſes ſex: Abba vero annos tres: moritur Anno 1047.

IV. Andreas Regi Stephano junctus ſanguine Chriſtianiſmum reſtituit, filios habuit Salomonem & Davidem. Salomonem in regem coronari fecit, cum quinquennis eſſet, propterea, quod eum Bela frater de regno dimicare cogeretur. Occiditur anno 1062. Sepelitur in Thihan in S. Amiani cœnobio, quod ipſe ad lacum Balathonem condiderat, Anno 1059.

V. Bela Regis Andreæ à ſe bello devicti frater, ægre ferebat Salomonem in regem coronatum, tres enim habebat filios: Geiczam, Ladiſlaum, poſtea reges & ipſos,

ſos, & Lampertum. Hic monetam argenteam primus cudi fecit: pondera & menſuras eſſe juſſit, & mercibus quibuſcunque ſuum precium indicavit. Egregium illud cœnobium in Zewkzardo condidit, in quo ſepultus fuit. Dicitur Bela hic dum arma in fratrem moveret, Cæſarem Henricum fratri ejus auxiliares copias adducentem, in montibus quos vertentes ſeu verthiſes vocant, adeo obſediſſe, & ad tantam rerum omnium inopiam compuliſſe, ut Cæſar ipſe caſtra deſerere, ſcuta præjicere, & terga vertere coactus fuerit. Vnde montibus id nominis poſtea inhæſit. Obiit Anno 1065, ſepelitur loco, quo dictum fuit ſupra.

VI. Salomon Regis Andreæ filius in regno quidem ſucceſſit, verum à fratris ſui defuncti filiis Geicza & Ladiſlao inde expellitur anno 1077. Eremita ergo factus obiit Polæ in Iſtria, ubi ejus ſepulcrum apparet.

VII. Geicza Regis Belæ filius natu maximus, duos habuit filios. Colomannum, poſtea Regem factum, & Almum. Hujus temporibus ingens fuit fames per Hungariam: obiit Anno 1030. Sepelitur Vaciæ, cujus ipſe fundator fuit.

VIII. Ladiſlaus Geiczæ Regis frater, quẽ Vngari propter vitæ innocentiam Sanctũ appellaverũt: Rex eligitur, ſuperſtite Salo-

mone rege expulso: Hic Dalmatiam & Croatiam Vngariæ adjecit. Cum Scythis crebra bella gessit. Obiit absque hæredibus Anno 1095.

IX. Colomannus Regis Geiczæ filius, is secundum quorundam opinionem antea Episcopus Warasdinus fuit, & hinc dispensatione facta regnum obtinuit. Vngari hoc regnante graves & plurimas molestias pertulerunt, multorum enim malorum & magnæ tyrannidis autor fuit. Fratrem suum Ducem Almum & filium Almi Balam oculis privavit. Almum insuper ipsum in templo occidi jussit. Duos habuit filios, Ladislaum & Stephanum, postea regem factum. Male vixit, male periit. Anno 1114. sepelitur Albæ regali.

X. Stephanus II. Colomanni Regis filius adolescens admodum regnum occupavit, subditi eum cognomento Radium seu fulgurationem dixerunt, quod omnia cœco & concitato animi impetu perageret. Is cum nullam sobolem ex conjuge speraret, nec vitæ suæ terminum longius abesse præsentiret, Monachus factus obiit Anno 1131.

XI. Bela II. Cæcus dictus, Almi qui frater Colomanni Regis fuit filius, quem excœcari Colomannus fecerat, prudenter regni administrationem obivit. Quatuor

tuor filios generavit, Geiczam, Ladiſlaum, Stephanum, qui tres poſtea in regno ſucceſſerunt, & Almum Borichum Regis Colomanni ſpurium dimicantem armata manu in fugam vertit, pie deceſſit Anno 1141. ſepelitur Albæ regali.

XII. Geicza II. defūctiRegisBelæ filius natu maximus, adoleſcens pius repreſſit armis Saxones, Auſtriacos & Bavaros Poſoniam tum occupantes, Vngariamq; depopulantes. Hoc regnante Poſonia à Germanis fuit habitata. Is regnum ſuum compluribus, iiſque magnificentiſſimis templorum ædificiis inſtruxit. Quatuor filios reliquit, Stephanum, Belam, ambos poſtea reges, Arpad & Geiczā. Obiit Anno 1161. ſepelitur Albæ regali.

XIII. Stephanus III. Geiczæ regis ſecundus filius, arma contra Venetos in Dalmatia, contra Emanuelem etiam Græcorum Imperatorem, & contra ſanguine ſibi junctos Ladiſlaum & Stephanum diverſis temporibus tulit. A conſanguineis ſuis profligatus obiit abſque ſobole Anno 1173. ſepelitur Strigonii.

XIV. Ladiſlaus II. Belæ cœci filius, ſex menſes regnavit, Stephano rege profugo adhuc ſuperſtite.

XV. Stephanus IV. Ladiſlai regis frater, menſes quinque regnavit: victus

autem à Stephano III. ambo eodem anno simul vita excesserunt.

XVI. Bela III. Regis Stephani III. frater, Regis Geiczæ II. filius. Hungariam à latrociniis perpurgavit. Duos habuit filios Emericũ & Andream. Obiit anno 1196 Albæ regali, ubi quoque sepelitur.

XVII. Emericus Regis Belę III. filius, patrem statim morte secutus unicum filium Ladislaum reliquit, sepelitur Agriæ.

XVIII. Ladislaus III. Emerici filius sex tantum menses regnum possedit.

XIX. Andreas II. Regis Belæ III. filius, regis Emerici frater, quatuor liberos suscepit ex conjuge sua Gertruda, Belam, Colomannum, Andream, & filiam S. Elisabetham. Rex ipse in terram sanctam expeditionem suscepit, & feliciter cum Sultano Babyloniensi manus conseruit, ob quod factum Hierosolomitani cognomé reportavit. Antequã vero hanc expeditionem adornaret, Gertruda regina lethaliter per Banchianum Palatinum seu viceregem Hungariæ vulnerata fuit, quod cõjugé Palatini fratri suo, qui ex Germania tum advenerat, regina ipsa ad libidinem ejus nefarie explendam, adduxerat. Rex post expeditionem reversus Palatini Estésis filiam secundo sibi matrimonio copulat, ex qua suscepit Stephanum patrem Andreæ Veneti, qui postea in regnum

ſuffectus fuit. Nobilitatem Hungariæ multis privilegiis & immunitatibus decoravit, frui que iiſdem fecit. Obiit Anno 1235.

XX. Bela IV. Regis Andreæ II. filius: hoc regnante, quinquies centena millia Scytharum totam Ruſciam & Podoliam devaſtarunt: Inde Hungariam ingreſſi aliquoties Peſtham adorti ſunt. Rex ipſe Bela ex improviſo in caſtris deprehenſus habitu ſervili vix evaſit. Ceciderunt autem tunc viri primarii complures, inter quos fuerunt Archiepiſcopus Strigonienſis, Archiepiſcopus Colloczienſis, Epiſcopus Nitrienſis &c. Scythæ de hinc Danubium etiam trajicientes Strigonium expugnarunt, in quo utriuſque ſexus & ætatis homines crudeliter trucidarunt. Triennio elapſo furioſi iſti & rabidi prędones repetentes Mæoticam paludem in patriam redierunt, & Mahometis traditiones poſt hæc amplexi ſunt. Bela Rex Hungariæ ope & auxilio equitum Rhodiorum regno reſtitutus. Obiit ann. 1275 ſepelitur Strigonii apud Franciſcanos.

XXI. Stephanus V. Regis Belę filius IV. ſecundo marte bella geſſit: vicit Regem Bohemiæ Othocarum. Regem item Bulgariæ, adhæc univerſam Myſiam ſibi tributariã fecit: Liberos reliquit Ladiſlaum & Mariam quæ Siciliæ Regi Carolo nupta,

Caro-

Carolum Martellum ex eo suscepit, qui filium Carolum procreavit, postea Vngariæ regem factum. Stephanus obiit An. 1278. & sepultus est in Insula Buda.

XXII. Ladislaus IV. Regis Stephani V. filius, dictus Kuunlazlo. Hujus temporibus Scythæ denuo Vngariam invaserunt, ferro & igne omnia Pestham usque misere devastātes: Biennio tandem elapso cum ingenti prędа ad fines suos reversi sunt. Rex hic à Cumanis morte truculenta interemptus periit Anno 1291.

XXIII. Andreas IV. Stephani, qui ex filio nepos erat Regis Andreæ II. ex cognomento Venetus: hic Austriam sibi subjugavit, obiit Budæ ubi in æde S. Ioannis Evangelistæ sepelitur Anno 1301. Illo mortuo Pontifex Caroli Martelli filium adoptavit in regem Vngariæ.

XXIV. Wencеslaus ab Vngaris Ladislaus dictus, Regis Bohemiæ filius: Hic contra Carolum Martelli filium eligebatur, sed à Patre suo tandem in Bohemiam revocatus fuit: Vngari enim discordes partim hunc ipsum, partim Carolum, partim etiam tertium quendam regem Otthonem Bavariæ Ducem sequebantur, regno præfuit circiter annos sex.

XXV. Ottho Dux Bavariæ, & hic ex quorundam gratia in regem coronatur Albæ regali: regnum fere triennium obtinuit:

tinuit: Hinc Ladiſlaus Vayvoda Iazygum captivum duxit, ſpoliavit, & regno ejecit.

XXVI. Carolus Robertus ſive Carolobertus, filius Caroli Martelli, quem Maria Regis Stephani V. filia peperit, corona regia inauguratus eſt, Anno 1310. Is vicit prælio Matthæum Comitem à Tinſchen non procul à Caſſovia. Late Vngariæ fines protulit: Dalmatiam enim Croatiam, Sertojam, Ladomeriam, Ruſciam, Comaniam, Bulgariam & Boſniam poſſedit. Vixit in matrimonio cum ſorore Caſimiri Regis Poloniæ, ex qua Ludovicum genuit, Anno 1319. Rege Carolo cum regina & liberis ſuis in ipſo Paſchatis feſto diſcumbente in arce Vicegradi, Felicianus nobilis aulicus in regem ſtricto gladio irruit ut vitam ei eriperet: ob quod facinus reus ſupplicio merito affectus fuit. Anno 1339. Dux Ruſciæ Carolum regem Vicegradi inviſit.

Anno 1340. Caſimirus rex Poloniæ Affinem ſuum regem Carolum inviſit Vicegradi, & regnum Poloniç Ludovico, Regis Caroli ex ſorore ipſius filio, quod ipſe ſine prole eſſet, ultro detulit. Carol. obiit Anno 1342. ſepelitur Albæ regali.

XXVII. Ludovicus Regis Caroli filius, Rex fuit Poloniæ & Vngariæ, filium quidem nullum, filias autem duas genuit.

Alte-

Alteram Mariam Regi Bohemiæ Sigiſmundo nuptam, qui propter eandem regnum Hungariæ obtinuit: Alteram HeduigamReginam Poloniæ.Ludovicus hic feliciter Bella geſſit, Iudæos omnes ex Hungaria ejecit. Obiit anno 1382.ſepelitur Albæ regali in ſacello quod vivus ſibi fieri curaverat.

XXVIII. Maria filia regis Ludovici in locum patris ſucceſſit:acSigiſmundo regi Bohemiæ qui Imperator tandem creatus fuit,nupſit: Verum cum Sigiſmundus admodũ adhuc adoleſcens eſſet, ipſa regina cum matre Eliſabetha regni adminiſtrationem interea obibat, quoſdam Imperii proceres ſibi jungens, quorũ nutu omnia peragebat:quod Hungariæ proceres moleſte ferentes, accerſebant Regem Neapolitanum Carolum, eique coronam regni deferebant: non multo autem tempore poſt, Carolus ſub ſpecie colloquii cum mulieribus iſtis reginis inſtituti occiditur,Italis ex tota Hũgaria profligatis: Et regina regnum recuperat. Sed ecce dũ comitata matre ſua atque aulæ magiſtro reliquiſque aulicis in regno circumveheretur,capitur à Ioanne Croatiæ Præfecto, quiCaroliRegis mortem uſciſci ſtatuerat. Is ergo interfectorem Caroli obtruncat: Reginam ipſam cum matre paſſis capillis trahens per ſolum raptat: matrem flumi-

ne

ne immerſam ſuffocat. Reginam autem carceri includit, atque gynæceum ejus ſcelerate proſtituit: tandem tamen metuens ſibi Reginam liberam dimittit. Quę ubi domum reverſa eſſet, regem & maritum ſuum Sigiſmundum ex Bohemia cũ magno exercitu adventantem videt: is Hungariam nullo prohibente occupat, & coronatur anno ætatis ſuæ XX. Quibus exactis expeditionem in Croatiam ſuſcipit, Præfectum obſidet, captumque capitali ſupplicio afficit, atque ad eum modum mors unius morte alterius expiata fuit.

XXIX. Carolus II. Cognomento minor, Rex Neapolitanus, filius Andreæ qui frater erat Ludovici Regis, eligitur in regem Hungariæ, contra Sigiſmundum & Mariam, ſed inſtinctu reginæ Eliſabethæ per Blaſium Forgat Budæ in arce interfectus eſt, anno 1385.

XXX. Sigiſmundo Hungariæ regnum à Maria, ut quæ eſſet ſine liberis, ultro relinquitur. Maria expiravit anno 1392. Sigiſmundus regnum occupat, & matrimonio ſibi jungit Comitiſſam Ciliæ, ex qua unicam filiam Eliſabetham ſuſcepit, anno 1396. Turcarum Imperator Bulgariam, quæ ad Hungariæ regnum pertinebat, armis occupat, cui Sigiſmundus Rex cum exercitu obviam procedens, partem

tem ejus provinciæ, ſed non niſi multo cum ſanguine & aperto prœlio recuperat, ceciderunt tum ad 20000. Chriſtianorum, Turcarum autem ad 60000. Chriſtiani tamen prælio victi ſunt: Rex ipſe vix fuga ſibi conſuluit. Anno 1401 Vngari regem ſuum carceri incluſerunt, qui liberatus poſtea regno reſtitutus eſt. An. 1409 Sigiſmundus Rex denuo à Turca ſuperatur. Anno 1410. eligitur Romanorum Imperator. Duas ſeditiones ruſticanas diverſis temporibus per Vngariam ſopivit. Obiit Anno 1437. Ætatis Anno 71. Sedit ad regni gubernacula in Vngaria, ſimul cum conjuge annos quinquaginta & unum.

XXXI. Albertus Archidux Auſtriæ uxorem duxit Eliſabetham, unicam Sigiſmundi Imperatoris filiam, quam ex Comitiſſa Ciliæ ſuſtulerat, ex quo matrimonio regnum ſimul Bohemiæ & Vngariæ obtinuit, atque Romanorum Imperator inſuper eligitur. Duas ſibi filias progenuit: Eliſabetham quam Caſimiro Regi Poloniæ ceſſit: & Annam quæ Wilhelmo Duci Saxoniæ nupſit, Ann. 1438 Amurathes Turcarum Imperator in Vngariam impreſſionem fecit, cui obviam procedens Albertus caſtrametatus eſt ultra Danubium ſupra Perſtham. Imperator diarrhæa in caſtris correptus, Budamque

damque petens, festino gradu Viennam contendit. Sed in itinere in pago quodam non procul à Posonia Nesimel vitam finiit, anno 1439. Prolem quidem masculam nullam, Conjugem tamen Elisabetham gravidam ex se reliquit. Quæ cum volens Vladislao fratri regis Poloniæ & Duci tum Lituaniæ desponsata esset, interea peperit Ladislaum filium & naturalem Vngariæ hæredem: Quare ubi filium regem peperisset, jam non ulterius Vladislai matrimonium desiderabat. Vnde magna dissidia orta & Vngariæ regnum misere conquassatum fuit. Regina filium suum menses quatuor natum cum summa solennitate in regem Vngariæ coronari curabat.

XXXII. Vladislaus nihilominus Vngariam ingressus à quibusdam Rex salutatur. Obsidet Strigonium ducto aggere ad montem S. Thomæ. Vrbem deditione capit. Regina assumpto filio suo confugit in Austriam ad tutorem ejus Fridericum Imperatorem, auferens simul sacram regni coronam, quæ regibus legitime electis imponi debet, & annis 23. post, precio dato per Matthiam regem recuperata fuit. Vladislaus interim cum reliquiis, de S. Stephani regis capite demptis coronatur. Hisce dissidiis gliscentibus Turca ansam regnum invadendi arri-

puit, siquidem Amurathes Rasciam interea occupat. Quadriennio elapso Vladislaus Rex plane adverso marte ingens prœlium cum Amurathe commisit. Rex enim ipse in prœlio occubuit, cæsis simul principibus & Prælatis quam plurimis, cũ triginta millibus Christianorum.

XXXIII. Ladislaus Rex Alberti Regis filius tantum quinque annos natus erat, cum Ladislaus occumberet, erat autem tum Viennæ. Ioannes ergo Hunniades sive Corvinus præficitur vicerex, quam præfecturã summa cum dexteritate obibat. Vnde & propter animi fortitudinem ab Vladislao in Vayvodam, Iazygum deputatus est, siquidem secundo marte contra Amuratem bella gessit. Inde ubi Ladislaus Rex ætatis annum 12. attigisset, in Hungariam se contulit, & Corvinum ob fidelem administrationem & servitia pręstita comitem Bistriæ constituit.

Anno 1455. Corvinus denuo Mahometem in fugam vertens, magna tormẽta bellica centum illi eripuit. Obiit anno sequenti videlicet 1456. Ladislao ergo jam regnante proceres regni acerbissimis odiis inter se dissidere. Comes Ciliæ Vlricus occiditur à Ladislao & Matthia, duobus filiis defuncti Hunniadis, ob quod factum Ladislaus capite truncatur. Matthias vero, qui & ipse postea Rex fuit,

fuit, Pragæ in carcerem adductus eſt.

Anno 1457. Ladiſlaus Rex feliciter pugnavit contra Sultanum, aliquot millia Turcarum proſternens. Ladiſlaus poſtmodum nuptias celebravit Pragæ cum Magdalena Caroli regis Galliæ filia, anno Ætatis ſuæ 19. & in ipſa ſolennitate nuptiali mortuus eſt.

XXXIV. Matthias Corvinus filius Ioannis Hunniadis Pragæ carceri incluſus redemptus fuit per Epiſcopum Waradinēſem quadraginta vel ſecundum alios ſexaginta millibus ſcutatorum, ſimulque in regem Hungariæ eligitur. Fridericus III. Imperator regnum ſibi arrogabat, prætendens ſe proximum ex virili ſtemmate hæredem defuncto regi ſuccedere. Matthias autem natus tantummodo annos 17. prævertit eum, ea lege, ut ſi abſque ſobole decederet, domus Auſtriaca ex teſtato ſibi regnum illud hæreditarium haberet. Primum matrimonium cum filia regis Bohemiæ contraxit: Rex ipſe bella ſatis feliciter adminiſtravit, quæ ann. 1462. & 1463. contra Turcam geſſit. Poſtquam anno 1464. ſacram regni coronam ſexaginta millibus ſcutatorum à domo Auſtriaca redemiſſet, coronatur Albæ regali cum ſumma ſolennitate & congratulatione ſuorum. Matthias rex

Anno 1475. Obiit doctissimus Mathematic. Ioannes Regiomontanus, quẽ Matthias rex summo honore prosecutus octingentis scutatis cohonestavit pro sola Dedicatione Ephemeridum in annos triginta supputatarum.

Anno 1476. Coronata fuit in Reginam Beatrix filia regis Siciliæ, Coronatio Albæ regali facta, Nuptiæ Budæ celebratæ, quæ dum fierent, Turca Dalmatiam devincit, in Vngariam ad castrum usque ferreum Stiriæ penetrat, & ultra triginta millia hominum captivos abducit, Daciam ferro & igne devastat. Matthias quod secundum quorundam opinionem Kunegũdam filiam Friderici Imperatoris non obtinuisset, nuptiis finitis Austriam bello petit, capit castrum munitissimum Truotzmansdorff, Petersdorff, & alia.

Anno 1481. Cæsariani in castris ad Vrbem Haymburgum improviso à Matthia obruti cæduntur. Anno sequenti Rex Matthias urbem illam obsidione cingit, quæ in confinio Hungariæ & Austriæ sita decẽ millia passuum supra Posonium, cis Danubium, ad præaltum montem cõdita est, in cujus fastigio arx quæ nulli facile accessum præbet supraeminet, post eam autẽ ad 20. stadia Prucka civitas est. Rex Matthias satis sibi perspectum habebat se nihil magnopere in Austria con-

fecturum, nisi Haymburgum prius occupasset, quam ob causam obsidet eam arctius præ cæteris. Fridericus Imperator tria millia equitum in occursum ei præmittit, qui prælio non ita magno ad Pruckam superiores fuerunt: Stephanus Bathori unus ex Matthiæ Ducibus in eo prælio capitur, & additis duobus à latere custodibus, dum cæteri Hungaros persequerentur, Pruckam abducitur, is in itinere capta occasione gladium alteri custodú, qui à læva erat, è vagina deripiens utrumque eodem confodit, quo facinore perpetrato, jam liberatus ad suos in castra revertitur. Matthias inde Haymbergam Vrbem deditione capit, & arcem à Præfecto ejus tribus scutatorum millibus numeratis accipit. Hinc exercitum ad Pruckam movet, quæ urbs non militibus tantum præsidiariis, & muris fossisque præaltis, sed arce insuper munitissima, flumine vivo circumlabente & propugnaculis aliisque defensione paratis optime erat instructa, ipsa in plano condita ad ripas Leythe fluvii, sita est. Hanc itaq; quatuor mésium obsidione cingebat, tormentisq; crebro in eam fulminans tádem multa vi eandem expugnat. Sed quod Vienna nullo modo obsideri posset, deliberat secum qua via adjacentes vicos occuparet. Quare Korneüburgum ultra Danubium obsidio-

ſidione capit, arcem Guntzam, Claudivicem, & Ebersdorfium, quod egregie ſe hoſti opponebat, tandem ipſam etiam Viennam in poteſtatem ſuam redigit. Viennam fames eo adegerat, Kal. ut Iunii ſe ultro dederet, quo die maximus terræ motus erat. Quibus confectis ſeptem menſes Neuſtadium obſidet, quam deditione accipit. Rex anno 1490. curis omnibus ſepoſitis animum libere explicatus atque in ipſo Palmarum feſto hilaris admodum menſæ accumbens, jubet ſibi ficos apponi, qui cum ſelectiores haberi non poſſent, in tantum ira intumuit, ut apoplecticus concideret, ac velut ab omni ſenſu expers jaceret, nec quicquam eloqueretur, ſed beluæ cujuſdam inſtar inter horrēdos mugitus expiraret: Albam ergo regalem deportatus ibidem ſepelitur.

XXXV. Vladiſlaus II. qui & ipſe Rex Bohemiæ jam ante erat, matrimonio ſibi viduam Matthiæ jungit, & Rex ita Hungariæ ſalutatur. Circa hæc tempora Maximilianus primus Viennam recuperat, Neuſtadium & Pruckam ſimul cum univerſa fere Auſtria. Adhæc armata manu Albam regalem recipit, Veſprinum etiam & Sabariam cum arcibus munitiſſimis quam plurimis. Alba autem, Veſprinum & quædam alia Vladiſlao reſtituta ſunt. Mortua priore conjuge ducebat filiam

comitis ex Gallia, ex qua Ludovicum & Annam suscepit. Præterea cum Maximiliano ita conventum est, ut si Rex absque liberis decederet, Maximilianus omnesque posteri ejus in regnis Hungariæ & Bohemiæ legitime succederent.

Anno 1514. magna seditio per Hungariam coorta est, dum enim Cardinalis Strigoniensis Crucem ad populum annũciaret, & multa subditorum millia nomina sua profiterentur, Vladislai interim legatio cum Turcarum Imperatore Selymo paciscitur. Verum qui nomina sua dederant, neutiquam ob id ab armis desistebant: quin imo Capitaneum Georgium Zeck, qui Turcã jam ante aliquoties profligaverat, in Regem sibi constituunt, primum per Hungariam tanquam furore cõciti castra non pauca & Cœnobia perrumpunt. Nobiles quam plurimos cum uxoribus & liberis trucidant, bona eorũ diripiunt, virgines constuprant, Episcopum Chonadiensem palo ligneo per corpus adacto transfigunt, idemque Strigoniensi Archiepiscopo & aliis minitantur. Posteaquam autem novus iste Rex Georgius una cum Ducibus à Comite Ioanne Vayvoda caperetur, inaudito & horribili prorsus supplicii genere affectus fuit. Primum Rex ipse corona candescente ferrea coronatur: dehinc sanguis ipsi è duabus

venis

venis sectis detractus fratri ejus Lucæ ad bibendum propinatur: Præterea triginta rusticos per triduum fame maceratos eo immanitatis compellebant, ut dentibus Regis sui adhuc viventis viscera dilaniarent deglutirentque. Rex autem ipse miram interim constantiam præ se ferendo ne ingemiscebat quidem, nec expavescebat ullum tormenti genus: hoc unum obtestans, ut fratri suo Lucæ parceretur, siquidem à se ad bellum istud compulsus fuisset. Tandem ubi jam omnia ferme membra discerpta essent, exenterarunt eum & corpus frustulatim concisum partim verubus tostum, partim lebete decoctum militibus ejus manducandum apposuerunt. Quos ita pastos pariter cum Luca Zechet varie excarnificatos, supplicio sustulerunt. Vladislaus Rex Budæ obiit Anno 1516. & Albæ Regali sepelitur.

XXXVI. Ludovicus II. Regis Vladislai filius successit patri in Regnis Hungariæ & Bohemiæ An. 1521. Selymannus Turcarum Imperator Hungariam cum exercitu ingressus omnia rabiose devastavit. Siquidem Collocza Archiepiscopatus primus hostium incursionibus patebat, Rex ope Pontificis Paulum Tomori in Archiepiscopum ejus loci constituit, eumq; tantũ non violenter ad id compulit. Bellogrado enim amisso locus hic virum non

tam sanctimonia insignem, quam hominem rerum politicarum callidum, & prudentem aliquem atque fortem protectorem sibi exigebat. Tomori, de quo hic sermo instituitur, ordinem Franciscanorum religionis ergo ingressus fuerat, is vir alias plane strenuus, & admodū severus erat, nec semel quid virtus sua in Turcas posset animo præsentissimo expertus fuerat. Rex Ludovicus conjugem habebat Mariam agnatam Maximiliani Imp. quæ postea Gubernatrix fuit in Belgio. Soror autem Regis Ludovici Anna Ferd. cessit, qui & ipse deinde Rex Hungariæ factus est.

Anno 1526. ubi Rex Ludovicus animadvertisset, Turcam denuo cum maximis copiis Vngariam petere, ipsemet cum exercitu illi obviam processit. Siquidem Nobiles quidam renuebāt cum solis belli ducibus & solum cum regni proceribus expeditionem illam suscipere, prætendētes privilegia sua, quibus cautum erat, ne militatum ire tenerentur, nisi Rex præsens inter ordines foret. Hac de causa Rex ipse in armis esse compulsus fuit, & ingenti prælio sed plane adverso Marte cum hoste decertatū fuit: Ceciderunt enim ad novendecim millia Christianorum; multi insuper Principes & Prælati, utpote Ladislaus Zalkanus Archiepiscopus Strigoniensis, Paulus Tomori Monach, dictus Ar-

chiep. Collocz. & generalis militiæ Præfect. Epiſ. 5. eccl. Iaur, Chonad. & Boſn. Rex itaque dum jam fugæ intentus eſſet cum equo cui inſidebat in locum paluſtrē & uliginoſum delatus miſere in eo periit. Corpus exactis menſibus duobus pòſt armis indutum & equus ejuſdem reperta, Albam regalem adductus & ibidem ſepultus eſt. Turca ſupra lacum Balathonē Iaurinum uſq; progreſſus, quæcunq; obviam habuit, incendiis & latrociniis devaſtabat. Budam Metropolim obſidebat, quæ nullo negotio in manus ejus veniebat: maxima enim pars, quin & Regina ipſa profugerant inde Viennam, ſola arx habebat milites præſidiarios Germanos, quam Turca cuniculis expugnare tentabat, quod milites animadvertentes convenerunt cum hoſte, ut ſublatis ſarcinis inde ſalvi diſcederent: fides autem illis non ſervata eſt, & quotquot erant ad unum omnes cimeterris conciſi perierunt. Solus capitaneus incolumis evaſit, quod milites ejus arcem ipſo invito hoſti obtuliſſent. In ſylvis quas Verthiſes vocant, ultra 25000. Chriſtiani, præter uxores & liberos latitabant, in quos Turcæ magna tormenta diſplodentes omnes propemodum ſuſtulerunt. Turca ſuperiorem inſuper Pannoniam adoritur, igne & ferro quæcunque ultra Danubium obvia deva-

devaſtat, quibus peractis Conſtantinopolim repetit.

XXXVII. Ioannes de Zapolia Vayvoda apud Iazyges, mortuo Ludovico à quibuſdam Rex eligitur: Tametſi Stephanus Bathori Palatinus Hungariç, cum præcipuis prælatis in electionem eam nõ conſentiret. Ferdinandus enim Caroli V. Imperatoris frater ad capeſſendum regnum jam vocatus erat, qua ratione factũ fuit, ut duo Reges tum electi eſſent.

Anno 1528. Vayvoda à Rege Galliæ ſuppetias ſibi ferri petivit, contra Ferdinandum Regem: præterea Carolo V. Imperatori, & ordinibus ſcriptis literis ſuper Ferdinandi Regis iniquitate conqueſtus, proteſtatur ſi contingat ut aliunde ſibi auxilium parare neceſſe haberet, ne id vitio ſubvertant: fertur etiam Ferdinando conditionem obtuliſſe, quod beneficiarius ſeu vaſallus eſſe velit; verum ubi omnis ſpes auxilii ipſi præciſa eſſet, non multo poſt inſtitutum ſuum, quod diu jam in animo propoſuerat (videlicet, ſi Ferdinandus Rex viribus ipſi eſſet ſuperior quod Turcç patrocinio uti vellet) in actum deduxit, ſeque Solymanni fidei atque tutelæ credidit.

XXXVIII. Ferdinandus Archidux Auſtriæ, Rex & ipſe Bohemiæ, eligitur Rex Hungariæ.

Anno

Anno 1527. magnis copiis conflatis Budam usque profectus, urbem eam & potissimam regni partem occupat, hinc Albæ regali in Regem Hungariæ coronatur. Generalis belli ejus Præfectus Casimirus Marchio Brandenburgensis Budæ obit in ipsa expeditione, & pompa funebri digna principe ibidem sepelitur.

Anno 1529. Solymannus Imperator Turcicus tacitè instigatus à Vayvoda Iazygum Hungariam adoritur, urbem Budam & arcem, quam undecies frustra oppugnaverat, vi capit. Ioannes Vayvoda Iazygum à Turcis Erdelbannus appellatus, magnis muneribus Turcæ obviam procedens manus ejusdem deosculatur, à quo Rex Hungariæ confirmatus Budam in sedem Regiam ab eodem oblatam acceptat, quam deinde ad finem usq, vitæ suæ, in annum videlicet 1540. fixum sibi retinuit incoluitque. His actis Solymannus secus Danubium cum exercitu conscendens, in transitu deditione capit Komaram, Vicegradum, Owaram &c. Visuntur adhuc Owaræ globi tormentarii ingentes, quos in obsidione illa sparsit intra muros ejus.

Vigesimo sexto Septemb. obsidione Viennã Austriç cingebat, bis centena millia Turcarum in exercitu suo numerans. Vrbem ipsam dies 20. continuos tor-

menti-

mentis conquassabat, sæpius eam incursionibus licet frustra adoriens. Ceciderunt tum Turcarum ultra octoginta millia, tandem frigore compulsus obsidionem solvit, & Budam Constantinopolimque repetit.

Anno vero 1532. cum ingenti manu videlicet ter centenis millibus reversus est, advehens secum centum & viginti tormenta bellica magna, quæ capitalia seu Cartaunen, 12. ex eo genere quæ mortaria, 40. quæ Serpentinę, & centũ quæ falcones à nostris hominibus denominantur. Obsidet ergo oppidulum & arcem Guntzam, quam Dominus Nicolaus Iurith natione Hungarus defendebat. Oppidulum ipsum ferme funditus tormentis collabefactatum erat, siquidẽ ter & decies frustra ab hoste oppugnatũ substiterat, Turcis quam plurimis cadẽtibus. Turca ergo magnanimitatem Domini Nicolai videns, per nuncium ipsi significat, si se in potestatem ejus traderet, honorarii loco arcem cum oppidulo reportaturũ, nec ulli civium deinceps id damno fore. Quã conditionem Hungarus ille acceptavit, civesque suos ea ratione salvavit. Turca inde castra movit, seque ad Stiriæ fines & lacum Balatonem convertit: SupremumBassam suum cum exercitu levis armaturæ ad 15. millia

lia hominum præmisit, qui longe lateque populabundi Aredaten usque excurrerunt damna plurima passim inferentes. Sed dum præda onusti retrò ad suos cogitarent, ita inter montes circumventi sunt, per quosdam equites qui cõscripti Viennam tum primum adventarant, ut vix 200. de 15. millibus evaserint. Imperatoria Majestas, brevissimo tempore Viennæ exercitum collegerat, ad triginta millia equitum, peditum autem ad bis centena millia. Cujus rei simul ac Turca certior factus, signa illico vellit & ad fines suos retrocedit, neque nostri eum ulterius persequi laborant.

An. 1537. Rex Ferdinan. denuo exercitũ conscripsit, 8000. videl. equitum, & 16000. peditũ, cujus dux fuit Catrianus, is pessimę fidei notã sibi inussit, siquidem ad Turcas deficiens, exercitum perfide re prorsus infecta prodidit. Nec longe post Catrianus se ad Comitem Nicolaum de Serino contulit, cujus alias intimus fuerat, illi persuadere conatur, ut & ipse ad Turcas deficeret, cui Comes Nicolaus caput præcidi jussit, quod Ferdinando Regi transmisit, & pro eo honorarii loco, omnia Catriani bona à Ferdinando sibi collata reportavit.

Anno 1540. vel secundũ alios 1541. Ioannes Vayvoda Transsylvaniæ, Budæ obiit,

obiit, is filium puerum adhuc reliquit, qui per ætatem regno præesse non poterat, ob id mater ejus interea vices illas adimplebat. Exercitus autem Ferdinandi Budam in qua erat vidua cum filio Ioanne Stephano obsidet, sibique eam dedi postulat: : Tutores Regis adhuc impuberis neutiquam in id consentiebant, sed Turcæ præsidium contra implorabant, qui primarium quendam Bassam cum exercitu propere præmittens eundem in propria persona haud multis diebus post subsequebatur. Tametsi vero milites Ferdinandi undiquaque tormentis in urbem fulminarent, depulsi tamen sunt, & ceciderunt ex iis ad 20000. Imperator Turcarum Budam & Pestham occupat, sibique utranque retinet, quarum Præfecturam Bellerbego demandat, de vidua autem & filio ejus disponit, ut in Transylvaniam concederent.

Anno 1542. denuo numerosus exercitus in Hungariam à Ferdinando rege missus est, cujus belli præfectus Generalis erat Ioachimus Elector Brandeburgicus. Pontifex duce Alexandro Vitellio tria millia equitum illis adjungebat, eá vice Pestha tormentis & incursionibus acriter oppugnata fuit, sed male cessit, siquidem lues horrenda in exercitum adeo sævиit, ut multa eorum millia perimeret,

meret, ſicuti eodem anno Viennæ etiam 18000. ex peſtilenti contagio perierunt.

Anno 1543. Turca denuo graſſans per Hungariam cum exercitu ad 10. Auguſti diem urbem & caſtrum Strigonienſe vi multa occupat, quamvis obſeſſi totis viribus ſe defenderent. Ad 3 Novembris Albam regalem deditione capit, ea tamen cõditione, ut cives illæſos dimitteret. Solymannus vero victis injungit, ut in arcẽ ſimul conveniant, quo facto armis eos exuit, & quoſdã qui viribus corporis præ reliquis valerent ex iis ſeligit. Cæteros Cimeterris diſſecari mandavit, his peractis Mahometem Iaoglis Gubernatorem totius Hungariæ conſtituit.

Anno 1547. Anna Regina Hungariæ Ferdinandi Regis Conjunx Ioannam parturiendo expiravit.

Anno 1548. Ferdinandus Rex Agriam in poteſtatem ſuam redigebat, Duce Comite à Salm. Vrbis autem captæ præfecturam Stephano Debo; Franciſco Zay & Nicolao Olaho committebat.

Anno 1549. Comes à Salm multa caſtra in ſuperiore Pannonia expugnabat.

Anno 1550. Matthias Teuffel Ferdinandi Regis Copiarum Dux à Bellerbego Budenſi apud Pallatium ſuperatur. Turca etiam capit Dregelt, Gyarmath, Zetſchin, Pallatium & oppida quædam ad-

jacentia. Obsidet insuper Agriam copiis suis omnibus in unum collectis, verum qui in urbe erant, unanimiter contra hostem conspirabant, fidemq; suam subscriptione è proprio sanguine factam, invicē astrinxerant. Turcicus itaq; exercitus pudore confusus obsidionem solvit, duodecies mille globis in urbem per magna tormenta displosis, qui numerus collectis globis istis demonstrari potuit. Ceciderunt autem omnino trecenti ex nostris.

Agria sedes est Episcopalis, quæ secundum Bonfinii opinionem, primum ab Agrianis Illyrici populis habitata fuit. Sunt qui à rivulo Agria urbem alluente eam denominatam existimant: Sunt etiam qui veterum Vinundriam putant, cujus Ptolomæus in superioris Panno-niæ tabula meminit, eique trigesimum octavum cum dimidio gradum longitudinis, & quadragesimum sextum cum dimidio latitudinis assignant. Temporibus Bonfinii, quantū ex Historia ejus cōjicere possumus, civitas ea satis exigua, nec muris adeo munita fuit: Verum sub Ferdinando, à Præfecto Erasmo Teufel egregie instaurata est: Arcem vetustate minus conspicuam habet, nec ullis propugnaculis firmam, portis solummodo utcunq; clausam. Non multo tēpore post Dominus Antonius Vernantius Episcopus

pus Agrienſis & Nobiliſſimus Franciſcus Zay Præfectus Caſſovienſis, Conſtantinopolim à Regia Majeſtate delegati pacis conditiones tractarunt.

Anno 1556. deficientes Tranſſylvani à Rege ſuo Ferdinando jungebant ſe Ioanni Sigiſmundo Vayvodæ filio Vayvodæ illius de quo ante ſermo fuit.

Anno 1558. Ferdinandus Rex Vngariæ & Bohemiæ eligitur in Romanorum Imperatorem.

Anno 1560. Turca Felicam capit, locus is in ſuperiore Pannonia munitiſſimus eſt. Nec multo tempore poſt Ferdinandus Imperator & Solymannus fœdus inierunt, quod utrique parti tolerabile fuit, & ratum illæſumque perſtitit, quoad Imperator Ferdinandus in vivis erat.

Anno 1564. ad 25 Iulii diem Ferdinandus Imperator Viennæ fatis concedens Pragæ ſepeliebatur.

XXXIX. Maximilianus II, Ferdinandi Imperatoris filius, qui jam ante Rex Bohemiæ, Romanorumque dehinc Imperator electus erat, coronabatur anno 1563. una cum Maria conjuge ſua in Regem Vngariæ, ſuperſtite adhuc patre ſuo Ferdinando Imperatore.

Anno 1564. ſub finem fere anni Ioannes Sigiſmundus Vayvoda Iazygum vaſallus & ſubditus Solymanni male

fortunatus, pace violata Zatwarum expugnavit, in quo Maximiliano Imperatori plurimum erat ſitum. Vayvoda Balaſſi Melchiorem inde expulit, conjugem & liberos illius, cum omni ſuppellectile, clenodiis, etiam & prompta pecunia abduxit: Verum Maximilianus Imperator miſſo belli duce Lazaro à Schwendi cum exercitu, Zatuarum recuperavit, ſimul cū aliis adjacentibus locis non paucis.

Anno 1565. Vayvoda Solymannum tantopere ſolicitavit, ut is de expeditione in Pannoniam ſuſcipienda, plane ſecum conſtitueret. Quare Baſſæ Budenſi mandatur, ut arma paret, & bellum auſpicetur, qua ratione Vayvoda ille, patriam ſuam in extremum exitium adduxit. Regem enim ſe Hungariæ dictabat, & conventu ſuorum habito in Martio menſe proponebat illis quod ex Patroni ſui clementiſſimi, Sultani Solymanni ſententia & poteſtate plenaria omnibus Hungariæ ordinibus edicto injunctum, ut ſub poteſtate & ſceptro ſui Vayvodæ eſſe teneantur. Quod edictum Lazarus à Schwendi conſtanter & ſolide refutabat. Nec multo poſt Solymāno Hungariam ingreſſo, Vayvoda cum muneribus plane regiis obviam proceſſit, ſpe, licet fruſtrata, Hungariæ regnum ab eo obtinendi. Baſſa Budēſis Palotam obſidens, (erat autem in ea Capita-

Capitaneus Georg. Thurinus vir equestri virtute cõspicuus), per integrum octiduũ continue tormentis in illam fulminabat, adeo ut muris conquassatis soloque tantum non ęquatis castrum ipsum extreme periclitaretur, præter spem liberatum fuit per Comitem Georgium ab Helfenstein, Turcæ conspectis Christianis profugerũt, pulvere tormentario, farina, tormentis & tentoriis omnibus relictis. Muri deruti deinceps reparati sunt.

AD 29 Iunii Christiani Vesprinum obsidione cingentes postero die occuparunt, cæsis omnibus quotquot ex Turcis obvios habuerunt, quinque tantum acceptis. In Iulio Comes à Salm Thatan arcem quam nostri Dotin vocant, expugnavit, & pręsidiarios ad unum usque extinxit. Turcæ qui Gestes locum munitũ tenebant, ubi de adventu Comitis certiores facti essent, inde profugerunt: quorum exemplum imitati sunt qui Weytam tenebant. Eodem anno Scythæ suadente Vayvoda Iazygum & Solymanno eos evocante superiorem Pannoniam adoriebantur, omnia ferro & igne devastantes plurimosque Christianos secum abripientes. Horum decem millia Dominus Lazarus de Schwendi, parva suorum jactura partim cæcidit, partim ex Hungaria profligavit. His peractis dictus Schwendi

castra quædam, Sabactam videlicet, Crasnahurcam, Pilovvix, & alia expugnavit, quæ ad Georgium Bebecium unum ex Vngariæ proceribus pertinebant, is autem perfide Imperatorem deserens Vayvodæ partes sequebatur. Præterea Zatuarum deditione capit. Turca ergo inferiorem Pannoniam passim misere depopulante, & omnia vi occupante, ita ut de Komara & Iaurino etiam metuendum esset, Imperatoria Majestas maximis copiis conflatis ipsemet præsens expeditionem suscepit, & adKomoram Iaurinumque castrametatus, munitiones eas ad communem Christianorum salutem à Turcarum furore tutas reddidit. In mense Octobri dum Imperator Iaurini commoraretur, incendium ingens ibi exarsit, ex quo fere tota civitas conflagravit, milites dum restinguendo incendio occupati esse debuerant, admodum opimam prædam ex bonis mercatorum istic depositis retulerunt: Imperator postmodum magnam pecuniæ summam ad ædificia restauranda incolis deputavit.

Anno 1567. Episcopus Agriensis & Dominus Christophorus à Teuffenbach liber Baro, Constantinopolim missi sunt ut de pace tractarent, quæ anno 1568. inter Imperatorem Maximilianum II. & Sultanum Selymum in octennium constituta

ſtituta eſt, una ex conditionibus illius hæc fuit, ut quiſque ſibi retineret, quæ in poſſeſſione ſua haberet: quæ pacificatio annis poſterioribus prolongata eſt.

Anno 1571. Ioannes Sigiſmundus Vayvoda Iazygum, obiit abſque ſobole, nec abfuit ſuſpicio veneni. Illi ſucceſſit Stephanus Bathori annexa tamen ſervitute, qua annuatim tributum Sultano penderet. Hic ipſus eſt Bathori ille, qui anno 1575. ex commendatione Sultani in Regem Poloniæ ſuffectus eſt.

Anno 1574. durante adhuc pace, Turca prope lacum Balathonem Vngariam adortus, ultra mille Chriſtianos trucidavit, & opimam admodum prædam avexit. Circa finem hujus anni obiit Selymus Conſtantinopoli, in cujus locum filius ejus Amurathes ſucceſſit.

Anno 1576. Obiit Imperator Maximilianus in Comitiis Ratisbonæ.

XL. Rudolphus II. filius Imperatoris Maximiliani, qui nunc ad Imperii gubernacula ſedet, & ipſe jam ante Vngariæ & Bohemiæ Rex ab imperii Electoribus eligitur in Romanorum Imperatorem.

Anno 1579. In Novembri Begus Villacenſis, urbem Sixo, quæ in ſuperiore Pannonia eſt, dum mercatus annuus celebraretur, improviſo obruebat, & iner-

mes illos cimerterris dissecans bona eorum diripiebat, bis mille ex iis copulatos equorum instar secum abducens dum ad suos retro cederet: nostri eum persecuti sunt, & ope Hungarorum rusticanorum captivos ipsi eripuerunt; multos etiam primarios Turcarum partim occiderunt, partim captivos abduxerunt, domum reversi sunt. Præda onusti anno 1580. Turcæ superiorem Pannoniam Sepsy usque depopulabantur, vicos complures diripiebant & flammis prorsus exurebant, multos etiam Christianorum secum abripiebant, sed dum retro ad suos vergerent à nostris prope Agriam fusi sunt, & ita captivi & præda recuperata est. An. 1582. Imperatoria Majestas Posonium se conferens cum Hungariæ Proceribus consultavit, qua ratione quod in Hungaria residuũ esset, defendi, & castra quæ limites regni essent, rectius communiri possent.

Eo anno & pace adhuc vigente sexaginta millia Turcarum coierunt, qui duce Sanzaco superiorem Pannoniam incursarunt. Zapoliam devastantes, vicos aliquot flammis absumentes, multos in captivitatem ducentes & ingentem prædam avehentes. Verum in reditu à militibus Cæsarianis prope Agriam magna ex parte cæsi sunt, & bona ab ipsis recuperata. Quę cum Constantinopoli relata essent, Tur-

cam admodum commoverunt: Ast ubi intellexisset, Turcas nulla provocatos injuria priores petulanter Christianos incursasse, paulatim detumuit, atque ultro expetivit pacis conditiones posthac illibatas continuari. Ea ratione inter Romanorum Imperatorem Rodolphum II, & Sultanum Amurathem III, pax denuo constituta fuit in octennium integrum, quæ anno 1584. ipsis kalend. Ianuarii cœpit.

Anno 1587. Turcæ septendecim pagos, versus Nemetuos citra ultraque Limpach sitos devastabant, nec paucos Christianos abripiebant. Comes vero Georgius à Serino prædam eam recuperavit & ultra 2000 illorum cæcidit.

V.

S. STEPHANI PRIMI HVNGARIÆ REGIS DECRETVM.

Ad S. Emericum Ducem,

in quo leges Regni Hungarici fundamentales.

IN Nomine Sanctæ Trinitatis & individuæ Vnitatis. Cum cuncta Dei nutu condita, suaque evidentissima prærordinatione disposita, tam in amplitudine cœli, quam in istis amplissimis terrarum climatibus, ratione intelligentiæ funditus sentiam vigere, atque subsistere: cumque affatim universa hujus vitæ utilitati dignitatique gratiæ Dei concessa, scilicet Regna, Consulatus, Ducatus, Comitatus, Pontificatus, cæterasque dignitates, partim divinis præceptis atque institutis, partim legalibus, partim juridicis, partim civilibus, ac Nobiliorum ætateque provectorum consiliis, suasionibus, regi, defendi, dividi, coadunari videam: & cum omnes ordines ubique terrarum, cujuscunque sint dignitatis, non solum satellitib⁹, amicis, servis, præci-

præcipere, consulere, suadere, sed etiam filiis pro certo sciam: Tunc me non piget, fili amabilissime, hac vita comite, tibi documenta, pręcepta, consilia & suasiones, parare, quibus tuæ vitæ mores, tibique subjectorum exornes, quando, summa concedente potentia, post me regnabis. Te autem studiose, adhibita audientia, patris præcepta, juxta divinæ sapientiæ suasum, condecet observare, dicentes per os Salomonis? Audi fili mi patris tui disciplinam, & ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, & multiplicentur tibi anni vitæ tuæ. Ex hac ergo sententia animadvertere poteris, si ea, quæ paterna pietate tibi præcipio, contemseris (quod absit) quod amplius amicus Dei & hominum non eris. Audi vero inobedientiam prævaricatorum præcepti, casum & præcipitium. Adam quidem, quem Dominus, conditor, totiusque creaturæ formator, ad suam formavit similitudinem, eumq; universalis fecit hæredem dignitatis, vinculum fregit præceptorum, statimque dignitatem, sublimitatem, ac mansionem Paradisi perdidit. Antiquus quoque populus à Deo electus & dilectus, quia legamina mandatorum, digitis Dei condita, disjecit, idcirco diversis interiit modis, partem quidem terra deglutivit,

partem

partem quoque exterminator mortificavit, & pars invicem se interfecit. Filius quoq; Salomonis, abjiciens pacifica verba patris, ac superbia elatus, minatus est populo percussiones frameæ, pro mastigiis patris, idcirco multa mala passus est in Regno, & ad ultimum dejectus est. Hoc tibi ne accidat, obedi fili mihi, puer es, delitiarum vernula, pulvinaris accola, fotus educatusque in deliciis cunctis, expeditionum, laboris, atque diversarum gẽtium incursionis expers, in quibus ego jam ferè. totam meam contrivi ætatem, jam tempus adest, in quo tibi non semper pulvinarium mollities, quæ te hebetem & delicatum reddant, adhibendæ sunt, quod est dissipatio virtutum & vitiorum fomentum, atq; cõtemptio mandatorum, sed interdum asperitas tribuenda est, quę tuam intelligentiam ad ea, quę præcipio, reddant attentam. His itaque præfatis, redeamus ad propositum.

CAPVT I.

De observanda Catholica fide.

QVoniam ad Regalis dignitatis ordinem, non oportet nisi fideles, & Catholica fide imbutos accedere; idcirco Sanctæ fidei in nostris mandatis primum damus locum. Imprimis præcipio, consulo, suadeo, fili charissime, si Regalem

cupis honestare coronam, ut fidem Catholicam & Apostolicam, tali diligentia & custodia conserves, ut omnibus tibi à Deo subjectis exemplum præbeas, cunctique Ecclesiastici viri, merito te verum Christianæ professionis nominent virũ, sine qua pro certo scias, Christianus non diceris, vel Ecclesiæ filius. Qui enim falsè credunt, vel fidem in bonis non implent & ornant operibus (quia fides sine opere moritur) nec hîc honestè regnant, nec iñ æterno regno vel Corona participant. Si vero scutum retines fidei, habes etiam galeam salutis. His quidem armamentis, contra invisibiles & visibiles legitime dimicare poteris inimicos. Nam ait Apostolus: Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Fides ergo de qua loquor hæc est: ut Patrem Deum omnipotentem, factorem totius creaturæ, & unigenitum ejus filium, Dominum nostrum Iesum, de Maria virgine, Angelo annunciante, natum, & pro totius mundi salute in crucis patibulo passum: & Spiritum Sanctum, qui per Prophetas & Apostolos & Euangelistas locutus est, unam Deitatem perfectam, indissolubilem, incontaminatam esse firmiter credas, & sine omni ambiguitate teneas. Hæc est fides Catholica, quam (sicut Athanasius dicit) nisi quis fideliter firmiterque crediderit,

salvus

ſalvus eſſe non poterit. Si aliquando infra tuam inveniantur potentiam (quod abſit) qui hanc collationem Sanctæ Trinitatis dividere, vel minuere, ſive augere conabuntur, hos ipſos ſcias eſſe hæreſiarchæ ſervos, & non Sanctæ Eccleſiæ filios. Tales vero nec nutrias, nec defendas, ne tu etiam videaris amicus & fautor. Hujuſmodi enim viri, Sanctæ fidei filios omnino reddunt morboſos, & iſtam novellam Sanctæ Eccleſiæ plebem, miſerabiliter deſtruunt, ac etiam diſſipabunt. Hoc ne fiat, principaliter cura.

CAP. II.

De Eccleſia, & continendo Eccleſiaſtico ſtatu.

IN Regali quidem palatio, poſt fidem, Eccleſia ſecundum tenet locum, à capite noſtro ſcilicet Chriſto prius ſeminata, deinde per ejus membra utique Apoſtolos, ſanctoſq; patres tranſplantata, & firmiter ædificata, atque per totum orbem diffuſa. Et quamvis ſemper novam pareat prolem, in certis tamen locis, quaſi antiqua habetur. Hæc autem, fili chariſſime, in noſtra Monarchia adhuc quaſi juvenis, & novella prædicatur; atque idcirco cautioribus evidentioribuſq; eget cuſtodibus, ne bonum, quod divina clementia per ſuam immenſam clementiam nobis

con-

concessit immeritis, per tuam desidiam & pigritiam atque negligentiam destruatur, & annihiletur. Nam qui minuit, aut fœdat sanctæ Ecclesiæ dignitatē, ille Christi corpus mutilare nititur. Ipse enim Dominus dixit Petro, quem custodem magistrumque eidem posuit sanctę Ecclesię: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Se ipsum quidē nominabat petram, verum non ligneam, vel lapideam super se ædificatam Ecclesiam dixit, sed populum acquisitionis, gentē electam, divinam, gregem fidē doctum, Baptismate lotum, Chrismate unctum, sanctam super se ædificatam Ecclesiam dixit, & appellat. Si quis infelix hujus sanctæ Ecclesiæ membra, vel parvulos scandalizat, juxta Euangelii præceptum, dignus est ut mola suspēdatur asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris, id est, dejiciatur de potestatis dignitate, & maneat extra Ecclesiam justorum, in illa mundiali miseria, sicut Ethnicus & Publicanus. Ac per hoc, fili mi, ferventi studio debes invigilare in sancta Ecclesia de die in diem, ut potius capiat augmentum, quam detrimentum patiatur. Inde etiam imprimis Reges Augusti dicebantur, quia augebant Ecclesiam. Hoc & tu facias, ut tua Corona laudabilior, & vita beatior, & prolixior habeatur.

CAP. III.

Episcopi nomenclatura, & de impendendo honore Pontificibus.

REgium ſolium ornat ordo Pontificum; ac per hoc in Regali dignitate tertium poſſident locum Pontifices. Chariſſime fili, ſeniores illos ita cuſtodias, ſicut oculorum pupillas. Si illorum benevolentiam habebis, neminem adverſariorum timebis. Illis quidem te obſervantibus, eris ſecurus in omnibus, illorũ precatio commendabit te omnipotenti Deo. Illos enim Deus humani generis conſtituit cuſtodes, fecitq̃ue ſpeculatores animarum, ac totius Eccleſiaſticæ dignitatis, ac divini Sacramenti diſpenſatores & datores. Sine enim illis nõ conſtituuntur Reges, nec principatus. Per illorum interventum, delicta delentur hominum. Si illos perfecte amas, te ipſum ſine dubio ſanas, tuumque Regnum honorifice gubernas. In manus enim illorum poſita eſt poteſtas ligandi nos in peccatis, & à peccatis ſolvendi. Teſtamentum enim ſempiternum ſtatuit illis Deus, eoſque ſegregavit ab hominibus, & ſui nominis atq; ſanctitatis fecit participes, & ab hominibus interdixit reprehendendos eſſe, per David deificum Regem: Nolite tangere Chriſtos meos, &c. Ille autem tangit

Christos Dei, qui contra divinum atque Canonum institutum, sacri ordinis viros, falsis criminibus fœdat, atque in publicum protrahit. Quod te omnino, fili mi, agere prohibeo, si vis beatus vivere, & tuum Regnum honestare. Quia in his rebus imprimis offenditur Deus. Si accidente casu; culpa reprehensione digna, super aliquem horum, de quibus sermo est, ceciderit (quod absit) corripe eum, ter, quater, inter te & ipsum solum, juxta præceptum Euangelii. Si tunc secretè renuerit audire monita, adhibenda tibi sunt publica, secundum hæc. Si te non audierit, dic Ecclesiæ. Nam si tu hunc ordinem servabis, gloriosam tuam penitus exaltabis Coronam.

CAP. IV.

De merito honore Principum & Baronum.

QVartus decor regiminis est fidelitas, fortitudo, agilitas, comitas, confidentia Principum, Baronum, Comitum, Militum, Nobilium. Illi enim sunt Regni propugnatores, defensores imbecillium, expugnatores adversariorum, augmétatores monarchiarum. Illi tibi, fili mi, sint patres, & fratres. Ex his vero neminem in servitutem redigas, vel servum nomines, illi tibi militent, non serviant, eorum

omnibus sine ira, & superbia, atque invidia pacificè, humiliter, mansuete dominare. Memoria retinens semper, quod omnes homines unius sunt conditionis: & quod nil elevat nisi humilitas, & nihil dejicit nisi superbia & invidia. Si eris pacificus, tunc diceris Rex, & Regis filius, atque amaberis à cunctis militibus. Si iracundus, superbus, invidus, impacificus, ac super Comites & Principes cervicem erexeris, sine dubio fortitudo militum, hebetudo erit Regalium dignitatum, & alienis tradent Regnum tuum. Hoc timens, cum regula virtutum dirige vitam Comitum, ut tua dilectione angulari, semper Regali dignitate adhæreant inoffensi, & ut tuum Regnum per omnia sit pacificum.

CAP. V.

De servanda virtute patientiæ, & tribuendo judicio.

PAtientiæ & judicii observatio, quinta Regalis Coronæ est ornatio. David Rex atque Propheta dicit: Deus judicium tuum Regi da. Et idem alibi: Honor Regis judicium diligit. De patientia Paulus Apostolus loquitur: Patientes estote ad omnes. Et Dominus in Euangelio: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Ad hoc tende, fili mi, si vis Regni

habere

habere honorem, dilige judicium: si animam tuam possidere vis, esto patiens. Quotiescunque, fili charissime, causa digna judicari ad te venerit, vel aliquis capitalis sententiæ reus, noli impatienter portare, vel cum juramento firmare, illum punire, quod instabile & fragile debet esse, quia stulta vota frangenda sunt, vel per teipsum dijudicare, ne tua Regalis dignitas usurpatione inferiorum negociorum fœdetur: sed potius hujusmodi negotium ad Iudices mitte, quibus hoc cōmissum est, quod ipsi secundum suam hoc discernant legem. Time esse judex, gaude vero Rex esse & nominari. Reges patientes regnant, impatientes vero tyrannizant. Quando autem aliquid, quod tuæ convenit ad judicandum dignitati, tibi venerit, cum patientia & misericordia, sive miserantia hoc judica, ut tua Corona laudabilis sit & decora.

CAP. VI.

De acceptione exterorum, & nutrimento hospitum.

IN hospitibus & adventitiis viris tanta inest utilitas, ut dignè sexto in Regalis dignitatis loco possit haberi. Vnde imprimis Romanum crevit Imperium, Romaniq; Reges sublimati fuerunt, & gloriosi, nisi quod multi Nobiles & sapientes,

ex diversis illuc confluebant partibus: Roma vero usque hodie esset ancilla, nisi Æneades ipsam fecisset liberam. Sicut enim ex diversis partibus provinciarum veniunt hospites, ita diversas linguas & consuetudines, diversaque documenta & arma secum ducunt, quæ omnia Regiam ornant & magnificant aulam, & perterritant exterorum arrogantiam. Nam unius linguæ, uniusque moris Regnum, imbecille & fragile est. Propterea jubeo te, fili mi, ut bona voluntate illos nutrias, & honeste teneas, ut tecum libentius degant, quam alicubi habitent. Si enim tu destruere, quod ego ædificavi, aut dissipare, quod congregavi, studueris, sine dubio maximum detrimentum tuum patietur Regnum. Quod ne fiat, tuum quotidie auge Regnum, ut tua Corona ab omnibus augusta habeatur.

CAP. VII.

De magnitudine consilii.

IN tribunalibus Regum, consilium sibi septimum vendicat locum. Consilio enim constituuntur Reges, gubernantur Regna, defenditur patria, componuntur prœlia, sumitur victoria, propelluntur inimici, appellantur amici, civitates construuntur, & castra adversariorum destruuntur. Quando vero consiliis inest

utilitas. Nam à ſtultis, & arrogantibus, ac mediocribus (ut mihi videtur) non valent componi viris, ſed à majoribus & melioribus, ſapientioribuſque ac honeſtiſſimis ſenioribus, exprimi debent & poliri. Idcirco, fili mi, cum juvenibus, & minus ſapientibus noli conſiliari, aut de illis conſilium quærere, ſed à ſenioribus, quibus illud negotium propter ætatem & ſapientiam ſit aptum. Nam conſilia Regum, in præcordiis ſapientum debent claudi, non ventoſitate ſtultorum propagari. Si enim gradieris cum ſapientibus, ſapiens efficieris: Si verſaris cum ſtultis, ſociaberis illis, fatente Spiritu Sancto per Salomonem: Qui cum ſapientibus graditur, ſapientum erit amicus, nec ſtultorum erit ſimilis. Et David pſallit: Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum perverſo perverteris. Ad hoc quicquid negotii unicuique conveniat ætati, in hoc ſe exerceat, ſcilicet, juvenes in armis, Senatores in conſiliis. Omnino tamen juvenes non ſunt expellendi à conſiliis. Quoties verò cum illis conſilium inibis, etiamſi ſit habile, tamen ſemper ad majores deferas, ut omnes actus tuos normâ ſapientiæ menſures.

CAP. VIII.

Quod majores imitari debeant, & filij obedire parentibus.

IMitatio majorum in Regali dignitate, octavum possidet locum. Regale ornamentum scito esse maximum, sequi antecessores Reges. & honestos imitari parentes. Qui enim antecessorum decreta spernit patrum, nec divinas procurat leges, peribit. Patres enim idcirco sunt patres, ut nutriant filios, ideoq; sunt filii, ut obediant patribus. Qui patri suo resistit, inimicus Dei existit. Omnes enim inobedientes, Deo sunt resistentes. Spiritus enim inobedientię dispergit flores Coronæ. Inobedientia enim, totius Regni est pestilentia. Propterea, fili charissime, edicta patris tui semper tibi sint promptuosa, ut prosperitas tua ubiq; Regalibus dirigatur habenis. Mores quidem meos, quos Regali vides convenire dignitati, sine vinculo totius ambiguitatis sequere. Grave enim tibi est hujus climatis tenere Regnum, nisi imitator cõsuetudinis ante Regnantium extiteris Regum. Quis Græcus regeret Latinos Græcis moribus? aut quis Latinus Græcos Latinis regeret moribus? Nullus. Idcirco consuetudines sequere meas, ut inter tuos habearis præcipuus, & inter alienos laudabilis.

CAP.

CAP. IX.

Orandum esse, & quomodo.

OBservatio orationis, maxima acquisitio est Regalis salutis, & ideo nonum, & nonaria Regiæ dignitatis canit regula. Continua oratio, est peccatorum ablutio & remissio. Tu autem, fili mi, quotiescunque ad templum Dei curris, ut Deum adores, cum Salomone filio Regis, & ipse Rex, semper dicas. Emitte Domine sapientiam de sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, & mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore. Et iterum: Domine pater & Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu maligno, extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & desiderium malignũ averte à me Domine, aufer à me concupiscentiam, & animo irreverenti & infrunito ne tradas me Domine. Hac itaque orationi antiqui utebantur Reges. Tu quoque hac eadem utere, ut Deus cuncta vitia à te auferre dignetur, ut invictissimus Rex à cunctis nomineris. Ora etiam, ut desidiam & hebetudinem à te depellat, & supplementum omnium tibi tribuat virtutum, quibus visibiles & invisibiles vincas inimicos, ut securus & expeditus ab omni incursione adversariorum cum omnibus

tibi subjectis, cursum ætatis tuæ vitæ cum pace possis finire.

CAP. X.

De pietate & misericordia, cæterisque virtutibus.

MOdus virtutum ornat Coronam Regum, & in præceptis ponitur decimus. Nam Dominus virtutum ipse est Rex Regum. Sicut ergo sui exercitus cœlestis plenitudo, in denis consistit choris, sic tuæ vitæ conversatio, in decem persistat mādatis. Oportet regem esse pium, misericordem, & cæteris virtutibus imbutum & ornatum. Rex enim impietate & crudelitate fœdatus, incassum sibi vendicat nomen Regis, quia Tyrannus est dicendus. Ob hoc ergo, fili mi amabilissime, dulcedo cordis mei, spes futuræ sobolis, precor, jubeo, ut per omnia, & in omnibus pietate fultus, nō solum parentelæ & cognationi, vel Principibus, sive Ducibus, sive divitibus, seu vicinis, & incolis sis propitius, verum etiam extraneis, & cunctis ad te venientibus. Nam opus pietatis ad summam te ducit beatitudinē. Sis misericors omnibus vim patientib⁹, semper illud Domini in tuis præcordiis habens exemplū: Misericordiam volo, & non sacrificium. Patiens esto ad omnes, non tantum potentes, sed etiam

pote-

poteſtate carentes. Sis denique fortis, ne te proſperitas nimis elevet, aut adverſitas dejiciat. Sis quoque humilis, ut Deus te altum faciat, hîc & in futuro. Sis verò modeſtus, & ultra modum neminem punias, vel damnes. Sis mitis, ut nunquam juſtitiæ repugnes. Sis honeſtus, ut nunquam alicui ſpontaneum inferas dedecus. Sis pudicus, ut cunctos libidinis fætores, ſicut ſtimulum mortis, evites. Hæc omnia ſuperius libata Regalem cōponunt Coronam, ſine quibus valet nullus hîc regnare, nec ad æternum pertingere Regnum.

SANCTI STEPHANI REGIS DECRETVM SECVNDVM.

REgnante divina clementia, opus Regalis dignitatis, alimonia Catholicæ fidei, effectum amplians ſolidius, alterius dignitatis ſolet operibus adeſſe: & quoniam unaquæque gens propriis regitur legibus, idcircò nos quoque Dei nutu noſtram gubernando Monarchiam, antiquos & modernos imitantes Auguſtos decretali meditatione noſtra, ſtatuimus genti noſtræ, quemadmodum honeſtam & inoffenſam ducerent vitam, ut ſicut divinis legibus ſunt ditati, ſimiliter etiam ſecularibus ſint addicti, ut quantum boni in divinis amplientur, tantū mali & rei in

istis vilitentur. Quæ autem decrevimus, in sequentibus subnotavimus.

CAP. I.

De statu Ecclesiastico, & veneratione domus DEI.

QVisquis fastu superbiæ elatus, Domum Dei ducit contemptibilem, & possessiones Deo consecratas atque ad honorem Dei sub Regia immunitatis defensione constitutas, inhoneste tractarit, vel infringere præsumpserit, quasi invasor & violator domus Dei excommunicetur. Decet enim, ut indignationem ipsius Domini Regis sentiat, cujus benevolentiæ contemptor, & constitutionis prævaricator extitit. Nihilominus tamen Rex suæ concessionis immunitatem, ab hominibus ditioni suæ subjectis, illæsam conservari præcipiat, assensum verò non præbeat improvidè affirmantibus, non debere esse res Dominicas, id est, Domino dominantium traditas. Itaque sub defensione Regis sit, & sicuti suę propriæ hæreditati, magisque advertat. Quia quanto Deus excellentior est homine, tanto præstantior est divina causa mortalium possessione. Quocirca decipitur, quisquis plus in propriis, quam in Dominicis rebus gloriatur: quarum defensor, & custos divinitatis constitutus

dili-

diligenti cura non solum eas servare, sed etiam multiplicare debet, magisque illa, quæ diximus præstantiora, quam sua defendere oportet, & augmentare. Si quis igitur insanus, importunitate improbitateque sua, Regem à recto proposito pervertere tentaverit, nullisque remediis mitigari posse visus fuerit, licet obsequiis aliquibus, & transitoriis sit necessarius, abscindendus ab eo, projiciendusque est, juxta illud Euangelium: Si pes, manus, aut oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te.

CAP. II.

De potestate Episcoporum super res Ecclesiasticas.

VT Episcopi habeant potestatem res Ecclesiasticas providere, regere & gubernare, atque dispensare secundum Canonum authoritatem: volumus, ut Laici eorum ministerio obediant, ad regendas Ecclesias, viduas & orphanos defendendum, & ut obedientes sint eis ad eorum Christianitatem servandã, consentientesque sint Comites & Iudices Præsulibus suis, ad justicias faciendas, juxta præcepta legis divinæ, & nullatenus per aliquorum mendacia, vel falsum testimonium, neque per perjurium, aut per præmium lex justa in aliquo depravetur.

CAP. III.

Quales debeant esse accusatores, & testes: & quod Laici clericos accusare non possint.

TEstes autem, & accusatores sine aliqua sint infamia, uxores & filios habentes, & omnino Christum prædicantes. Testimonium Laici adversus clericum nemo recipiat: nemo etiam quemlibet clericum in publico, nisi in Ecclesia examinare præsumat.

CAP. IV.

De assiduo & gravi labore Sacerdotum.

SCitote fratres cuncti, quod supra omnes laborant Sacerdotes. Vnusquisq; enim vestrum suum fert laborem proprium: illi vero & suum, & singulorum. Ideo sicut illi pro omnibus vobis, ita & vos omnes pro eis summopere laborare debetis, in tantum, ut si necessitas fuerit, animas vestras pro eis ponatis.

CAP. V.

De concessione Regali propriarum rerum.

DEcrevimus Regali nostra potentia, ut unusquisq; habeat facultatẽ suam dividendi, tribuẽdi uxori, filiis, filiabusq;; atque

atque parentibus, sive Ecclesiæ, nec post ejus obitum quis hoc destruere audeat.

Cap. VI.

Regalia & fisci res sint intacta.

Volumus quidem, ut sicut cæteris facultatem dedimus dominandi suarum rerum, ita etiam res, milites, servi, & quicquid ad nostram Regalem dignitatem pertinet, permanere debet immobile, & à nemine quid inde rapiatur, aut subtrahatur, nec quisquam in his prædictis sibi favorem acquirere audeat.

Cap. VII.

De observatione Dominicæ diei, ut abstineatur à laboribus.

SI quis igitur Presbyter, vel Comes, sive aliqua alia persona fidelis, die Dominica inveniret quemlibet laborantem, abigatur. Si verò cum bobus, tollatur sibi bos, & civibus ad manducandum detur. Si autem cum equis, tollatur equus, quem dominus bove redimat, si velit, & idem bos manducetur, ut dictum est. Si qui aliis instrumentis, tollantur instrumenta, & vestimenta, quæ si velit, cum cute redimat,

Cap. VIII.

Vt eodem die Dominico concurrant omnes ad Ecclesiam.

A Sacerdotibus verò & Comitibus commendetur omnibus villicis, ita ut ipsorum jussu, omnes concurrant die Dominica ad Ecclesiam, majores & minores, viri & mulieres: exceptis illis, qui ignes custodiunt. Si quis vero obstinatus remanebit, vapulet & depiletur.

Cap. IX.

Diebus quatuor temporum carnes non comedantur.

SI quis quatuor temporũ jejunia cunctis cognita, carnem manducans violaverit, per spacium vnius hebdomadæ inclusus jejunet.

Cap. X.

Sexta feria carnes non edantur.

SI quis in sexta feria ab omni Christianitate observata, carnẽ manducaverit, per unam hebdomadam inclusus jejunet.

Cap. XI.

De his qui sine confessione moriuntur.

SI quis tam obstinatus est (quod absit ab omni Christiano) ut nolit confiteri sua facinora, secundum suasum Presbyteri,

teri, hic ſine omni divino officio & eleemoſynis jaceat, quemadmodum infidelis. Si autem parentes & proximi neglexerint vocare preſbyteros, & ita ſubjaceat abſque confeſſione morti, ditetur orationibus, & conſuletur eleemoſynis, ſed parentes luant negligentiam jejuniis, ſecundum arbitrium preſbyterorum. Qui verò ſubitanea periclitentur morte, cum omni Eccleſiaſtico ſepeliantur honore. Nam occulta & divina judicia nobis ſunt incognita.

CAP. XII.

De obſervanda Chriſtianitate.

SI quis obſervatione Chriſtianitatis neglecta, & negligentiæ ſtoliditate elatus quid in eam commiſerit, juxta qualitatem offenſionis; ab Epiſcopo per diſciplinas Canonum judicetur. Si vero rebellitate inſtinctus, renuerit ſibi impoſitam pœnam ſufferre, iterum eodem judicio reſtringatur, etiam uſque ſepties. Tandem, ſi per omnia reſiſtens & abnuens invenietur, Regali judicio, ſcilicet defenſori Chriſtianitatis, tradatur.

CAP. XIII.

De homicidiis, & primo caſuali.

SI quis autem caſu occiderit aliquem, duodecim pēſās auri perſolvat, & ſicut

putatus punietur, aut duodecim juvencis redimetur, & jejunet ut Canones mandant.

CAP. XVI.

De homicidiis voluntariis.

SI quis accensus ira, ac superbia elatus, spontaneum commiserit homicidium, sciat se secundum Senatus nostri decretum, centum & decem daturum auri pensas. Ex quibus quinquaginta ad fiscum Regis deferantur, aliæ vero quinquaginta parentibus dentur, decem autem arbitris & mediatoribus condonentur. Ipse quidem homicida secundum institutionem Canonum jejunet.

CAP. XVII.

De libertate servorum.

SI quis misericordia ductus, proprios servos & ancillas libertate donaverit cum testimonio: decrevimus, ut post obitum ejus, nemo invidia tactus in servitutem eos audeat inducere. Si autem libertatem promiserit, & morte impediente testatus non fuerit, habeat mulier ipsius vidua & filii potestatem, eandem libertatem testari, & agape facere pro animæ redemptione sui mariti, qualitercunque velit.

CAP. XVIII.

De Conventu ad Ecclesiam, & de his qui murmurant hora Missæ, vel loquuntur.

SI qui ad Ecclesiam venientes ad audiendum divinum officium, ibidem hora solennitatis Missarum inter se murmurant, & cæteros inquietant, exponentes fabulas ociosas, & non intendentes ad divinas lectiones cum Ecclesiastico nutrimento: si majores sunt, increpati cum dedecore expellantur de Ecclesia: si vero minores & vulgares, in atrio Ecclesiæ, pro tanta temeritate, coram omnibus ligentur, & corripiantur flagellis.

CAP. XIX.

De non recipiendis servis vel ancillis in accusationem, vel testimonium, contra dominos suos vel dominas.

VT gens monarchiæ hujus ab omni incursu & accusatione servorum & ancillarum remota & quieta maneat, secundum Regalis decretum concilii penitus interdictum est, ut nullius causa culpæ, aliquam servilem personam, contra dominos vel dominas in accusationem & testimonium recipiant.

CAP. XX.

Liberum nemo in servitutem redigat.

QVoniam igitur Deo dignum est, & hominibus optimum, unumquemq; in suæ industriæ libertate vitę cursum ducere, secundum Regale decretum statutũ est, ut nemo Comitũ vel militum posthac aliquam liberam personam servituti subdere audeat. Quod si ęlationis audacia suæ stimulatus præsumpserit, sciat se totidem ex proprio compositurum: quæ compositio inter Regem & Comitem dividatur, & cætera. Sed si quis hactenus in servitute retentus, pro libertate sua tuenda judicium Regale faciens, securus extiterit, tantũmodo libertate fruatur, & ille à quo in servitute tenebatur, nil reddat.

CAP. XXI.

De his qui alterius milites aut servitores avocant.

VOlumus ut unusquisque senior (seu dominus) suum habeat militem (id est servientem (nec aliquis alter illi suadeat antiquum deserere seniorem, & ad se venire. Inde enim litigium habet initium.

CAP. XXII.

De recipiendis hospitibus.

SI quis hospitem cum benevolentia accipit, & nutrimentum sibi honeste im-

pendit, quam diu secundum propositum nutritur, non deserat suum nutritorem, & nec ad aliquem alium suam deferat hospitalitatem.

CAP. XXIII.

De his qui flagellantur sua quarentes.

SI cujus miles vel servus, ad alium fugerit, & is cujus miles vel servus fuga est elapsus, suum miserit legatum ad reducendum eum, & is legatus ibidem à quocunque percussus ac flagellatus extiterit, decrevimus nostrorũ Primatum Conventu, ut ille percussor decem solvat juvẽcos.

CAP. XXIV.

De viduis & orphanis.

VOlumus quidem, ut viduæ & orphani sint nostræ legis participes, tali tenore: ut si quæ vidua cum filiis & filiabus remanserit, atque nutrire eos, & manere cum illis, quam diu vixerit, promiserit, habeat potestatem à nobis sibi concessam id faciendi, & à nemine iterum cogatur in conjugium. Si enim mutato voto iterum nubere voluerit, & orphanos deserere, de rebus orphanorum nihil omnino sibi vendicet, nisi tantum sibi congrua vestimenta accipiat. Si autem vidua sine prole remanserit, & se innuptam in sua viduitate permanere promiserit, volumus ut potestatẽ habeat omnium

bonorum suorũ, & quicquid inde facere velit, faciat. Et post obitum ejus, eadem bona ad sui redeant parẽtes mariti, si parentes habet: sin autẽ non, Rex sit hæres.

CAP. XXV.

De raptu puellarum.

SI quis militum impudicitia fœdatus, puellam aliquã, sine concessione parentum sibi in uxorem rapuerit, decernimus puellam parentibus reddi, etiamsi ab illo aliqua vis sibi illata sit, & raptor decem solvat juvencos pro raptu, licet postea reconcilietur parẽtibus puellæ. Si vero pauper quis, aut vulgaris hoc aggrediatur agere, componatur raptum quinq; bobus.

CAP. XXVI.

De liberis fornicantibus cum ancillis alterius domini.

VT liberi suam custodiant libertatem incontaminatam, volumus illis ponerẽ cautionem, ne cum alienis fornicentur ancillis. Si quis autem improvidus hanc cautionem transgrediẽns, fornicaretur cũ ancilla alterius, sciat se reum esse criminis & pro eodem crimine imprimis decalvari & depilari. Si vero secundo cum eadem fornicatus fuerit, iterum decalvetur & depiletur. Si autem tertiò, sit servus pariter cum ancilla, aut redimat se. Si autem ancilla conceperit de eo, & parere

non poterit, ſed in partu morietur, componat eandem cum alia ancilla. Servus quoque alicujus, ſi cum ancilla alterius fornicatur, decalvetur & depiletur: & ſi ancilla de eo conceperit, & in partu moriatur, ſervus venundetur, ac dimidia pars pretii ſeniori ancillæ detur: altera pars vero ſeniori ſervi ſemper remaneat.

CAP. XXVII.

De his qui petũt ancillas alienas in uxores.

VT nemo eorum, qui libero nomine cenſentur, facere cuiquam injuriam audeat, terrorem & cautionem impoſuimus. Quia in hoc Regali concilio decretum eſt, ut ſi quis liber connubium ancillæ alterius, ſciente domino ancillæ, elegerit, perdita ſuæ libertatis induſtria, perpetuus efficiatur ſervus.

CAP. XXVIII.

Qui extra Regnum à ſuis aufugiunt uxoribus.

VT genus utriuſque ſexus, certa lege, & abſque injuriis maneat & vigeat, in hoc Regali Decreto ſtatutum eſt, ut ſi quis protervitate præditus, propter abominationem uxoris patriam effugerit, uxor cuncta quæ in poteſtate mariti habebantur, poſſideat, dum velit expectare virum, & nemo in aliud conjugium eam cogere præſumat. Sed ſi ſponte nubere velit

velit, liceat sibi sumptis congruis vestimentis, & dimissis cæteris bonis ad connubium ire. Et si vir hoc audito redierit, ne liceat sibi aliam ducere, propter suam culpam, nisi cum licentia Episcopi.

CAP. XXIX.
De furto mulierum maritatarum.

CVm igitur cunctis horrendum, & omnibus abominabile sit, virilem sexum repertum fecisse furtum, & magis magisque sexum fœmineum: secundum Regalem senatum decretum est, ut si aliqua mulier maritata furtum commiserit, â marito redimatur. Et si secundo in eandem culpam inciderit, similiter redimatur. Si vero tertiò, venundetur.

CAP. XXX.
De incendiis mansionum.

SI quis per inimicitias alterius ædificia cremaverit igne, decrevimus, ut ædificia restituat, & quicquid suppellectilis arsum fuerit, persolvat, & insuper sedecim juvencos, qui valét sexaginta solidos.

CAP. XXXI.
De strigibus.

SI qua striga inventa fuerit, secundum judicialem legem, ducatur ad Ecclesiam, & commendetur Sacerdoti ad jejunandum, fidemque discendum: post jeju-

nium vero domum redeat. Si secundò in eodem crimine invenietur, simili jejunio subjaceat: post jejunium vero in modum crucis in pectore, & in fronte, atque inter scapulas, incensa clavi Ecclesiastica, domum redeat. Si vero tertiò, judicibus tradatur.

CAP. XXXII.

De maleficis, veneficis, & sortilegis.

VT creatura DEI ab omnium læsione malignorum remota, & à nulla detrimentum sui passura maneat, nisi à DEO, à quo augmentatur: secundum decretum senatus statuimus ad magni cautionem terroris, veneficis & maleficis, ut nulla persona maleficio aut veneficio quenquam hominum subvertere à statu mentis, aut interficere audeat. Ast si quis, vel quæ, posthac hæc præsumpserit, tradatur in manus maleficio lęsi, aut in manus parentum ejus, secundum eorum velle, ad judicandum. Si vero sortilegio utentes invenirentur, ut faciunt in cinere, & his similibus, ab Episcopis flagellis emendentur.

CAP. XXXIII.

De invasione domorum, & de pugna ibidem secuta.

VOlumus, ut firma pax, & unanimitas sit inter majores, & minores secundum

dum Apostolum: Omnes unanimes estote, nec alium aliquis invadere audeat. Nam si quis Comitum, post diffinitionem hujus communis concilii tam contumax extiterit, ut alium domi quærat ad perdendum eum, atque suas dissipare res. Et si dominus domi est, & si secum pugnaverit, vel interfecerit, luat secundum legem de evaginatione gladii confectam. Si autem idem Comes ibidem occubuerit, sine compositione jaceat. Si vero miles quis curiam, vel turrim, vel domum alterius invaserit militis, decem juvencis componat invasionem. Si vero ille non supervenerit, sed suos milites miserit, centum juvencis componat invasionem. Si vulgaris quidam alterius sui similis mansiunculas invaserit, quinque juvencis solvat invasionem.

CAP. XXXIV.

De ædificatione & dote Ecclesiæ à villis composita.

DEcem villę Ecclesiam ędificent, quam duabus mansionibus, totidemque mancipiis dotent, equo & jumento, sex bobus, & duabus vaccis, triginta quatuor minutis bestiis. Vestimenta vero & corporalia & coopertoria Rex provideat, presbyterum & libros Episcopi.

CAP. XXXV.

De donationibus Regum & propriæ rei possessione.

CONsensimus igitur petitioni totius Senatus, ut unusquisq; dominetur propriorum, similiter & donorum Regis, dum vivit: excepto quod ad Episcopatum pertinet & Comitatum, ac post ejus vitam filii simili dominio succedant, nec pro nullius causa reatus detrimentum bonorum suorum patiatur quis, nisi consiliatus mortem Regis, aut traditionem Regni fecerit, vel in aliam fugerit provinciam. Tunc vero bona illius in Regiam veniant potestaté, ipse vero subjaceat sententiæ, filiis innocentibus remanentibus.

CAP. XXXVI.

De servo interfecto ab altero servo.

SI alicujus servus, servum alterius occidit, senior homicidæ medietatem servi componat seniori interfecti, si potest: sin autem non, peracta una Quadragesima, venundetur servus, & precium dividatur.

CAP. XXXVII.

De redemptione homicidæ servi.

SErvum liberi homicidam, si seniori placuerit, cum centum & decem juvencis redimat, aut tradat.

CAP. XXXVIII.

De vindicta nitentium acquirere libertatem alienis servis.

SI quis alienis servis libertatem acquirere niteretur, quot servi erunt, totidem mancipia solvat. Ex quibus duæ partes Regi, tertia seniori servorum detur. Rex autem ex sua parte tertiam tribuat Comiti.

CAP. XXXIX.

De furto servi semel commisso.

SI quis servorum semel furtum commiserit, reddat furtum, & redimat nasum quinque juvencis, si potest; sin autem non, abscindatur.

CAP. XL.

De pœna furtum secundò & tertiò committentis.

SI furtum abscissus naso commiserit, redimat aures quinq; juvencis, si potest: si autem non, abscindantur. Si tertiò commiserit furtum, careat vita.

CAP. XLI.

De furto liberorum, semel, bis & ter commisso.

SI quis liberorũ furtum commiserit, hãc decrevimus legem cõponere, ut semel redimat se, si potest: sin autem non, venunde-

nundetur. Si idem venundatus furtum commiserit, legibus servorum subjaceat. Si secundò, simili legi subjaceat. Si vero tertiò, dispendio vitæ dijudicetur.

CAP. XLII.

Comites, quod Regis est, apud se non detineant.

SI quis Comitum partem Regis defraudaverit, reddat fraudem, & duplo componat.

CAP. XLIII.

De contemptu & spretione justi judicii Comitis.

SI quis militum judicium à suo Comite recte judicatum spernens, ad Regem appellaverit, cupiens Comitem suum reddere injustum, sit debitor decem pensarum auri suo Comiti.

CAP. XLIV.

De restituenda re militibus per Comites injuste ablata.

SI quis Comitum, inventa aliqua occasione, quid injuste militi abstulerit, reddat, & insuper ex proprio tantumdem solvat.

CAP. XLV.

Promissum cadit in debitum.

SI quis autem militum, suum spontaneum donum dicens sibi vi ablatum, mendax extiterit, & hoc careat, & insuper tantundem solvat.

CAP. XLVI.

De his qui hominem gladio occiderint.

SI quis hominem gladio occiderit, eodem juguletur gladio.

CAP. XLVII.

De debilitatione membrorum gladio facta.

SI quis autem gladio evaginato, alium quemlibet debilitaverit, vel in oculo, vel in pede, vel in manu, consimile sui corporis damnum patiatur.

CAP. XLVIII.

De eo qui gladio percussus vulnus accepit.

SI quis vero gladio vulneravit aliquem, & vulneratus de eodem vulnere sanus & incolumis evaserit, homicidii compositionem vulneris illator componat.

CAP. XLIX.

De gladij evaginatione sine vulnere.

SI quis furore repletus evaginaverit gladium, & tamen non læserit, pro sola evaginatione medium homicidii compositum solvat.

CAP. L.

De testimonio servorum Regali curiæ, vel Comitis præpositorum.

SI quis servorum Curiæ regali vel Comitis præficitur, ejus testimonium inter Comites recipiatur, si servus seniorẽ, vel serviens suum Comitem interfecerit.

CAP. LI.

De conspiratione contra Regem & Reginã

SI quis in Regem aut Regnum conspiraverit, refugium nullum habeat ad Ecclesiam. Si quis contra Regis salutem aut dignitatem quolibet modo aliquid conspiraverit, aut conspirare aliquid tentaverit, seu tentanti scienter cõsenserit, anathematizetur, & omnium fidelium communione privetur. Vel si quis hujusmodi aliquẽ noverit, & probare valens nõ indicaverit, prædictæ subjaceat damnationi.

CAP. LII.

De decimatione.

SI cui Deus decem dederit in anno, decimam Deo det. Et si quis decimam

suam

ſuam abſcondit, novem ſolvat. Et ſi quis decimationem Epiſcopo ſeparatam furatus fuerit, dijudicetur ut fur, ac hujuſmodi compoſitio tota pertineat ad Epiſcopum.

CAP. LIII.

De calumniatoribus aulæ.

SI quis verſutus alicui Comitum, vel alteri perſonæ fideli dixerit, audivi Regem ad perditionem tui loqui, & hic inventus fuerit, pereat.

CAP. LIV.

De his qui mendacia inter duos aulæ familiares aſtruunt.

SI quis inter duos Comites mendacia protulerit, tacereque eos deprecatus fuerit, ut aſtutia diaboli ab invicem eos ſepararet, ſolvat duas compoſitiones fallacis linguæ pro reatu mendacii. Si uni ſoli adulatus fuerit, privetur lingua.

CAP. LV.

De furto Vduornicorum.

SI quis illorum, qui vulgo Vduornic vocantur, furtum commiſerit, lege liberorum dijudicetur. Teſtimonium autem ejus inter ipſos non recipiatur.

VI.


CAROLI I.

REGIS HUNGARIÆ

DECRETVM

*de Contributione regia, & * Vrburis, ac nonnullis aliis, cum arendatione proventuum Regiorum.*

* Vrburæ census regius. Sic alibi dicitur Vrburas ex cultura montanarum auri, & argenti fodinarum Regi persolvendas esse.



Os Carolus Dei gratia Rex Hungariæ, memoriæ commẽdantes tenore pręsentium significamus quibus expedit Vniversis. Quod nos Prælatorum &Baronum nostrorum voto unanimi, & de consilio eorundem, consideratis fidelitatibus & industriosis virtutibus, Magistri Ipoliti Castellani de Arwa, fidelis nostri, Comitatum Cameræ nostræ de Kremnycz, cum omnibus Comitatibus, Districtibus, Villis, Oppidis, qui & quæ, ab antiquo ad eandem Cameram nostram dignoscuntur pertinuisse, scilicet, cum Comitatibus Nittriensi, Neugradiensi, Borsiensi, Posoniensi, Hontensi, Trinchiniensi, de Zolyom, de Pesth, & de Comarom, ex alia parte Danubii, scilicet

ſcilicet à Poſonienſi, & Bachienſi, partibus ſituatis, eidem Magiſtro Ipolito, pro octingentis Marcis, partim in florenis, ſeu Aureis denariis, Cameræ noſtræ ejuſdem cuſis, & cudendis, partim vero cum integris Cameræ noſtræ monetis, annorũ præteriti, tertii & quarti, & præſentis, per totum Regnum uniformiter diſcurrendis, ad modum anni præteriti, tam per ipſum, quam per alios Regni noſtri Camerarios ampliandis, nobis in terminis infraſcriptis perſolvendis, Anno Domini 1342. à data præſentium per anni circulum, ſimul cum Decimis Archiepiſcopalibus, dedimus iterato, & locavimus ad exercendum, procurandũ, & tenendum iſto modo. Quod idem Magiſter Ipolitus, faciat fabricari integros denarios, Cameræ noſtræ Argenteos veræ combuſtionis tertiæ, ad modum & formam, ac valitudinem denariorum annorum præteriti, tertii & quarti eoſdem ampliando, in vera & tertia cõbuſtione, ex quibus de una Marca fini argenti, duodecim penſę incidantur: & octo penſæ ex eiſdem, & non plures, unam Marcam põderis Budenſis, in ſtatera ponderabunt & current, pro Marca fini argenti in montanis. Qui quidẽm denarii noſtri integri, cambientur per hunc modum. Quod ipſe Comes Cameræ, vel ſui Officiales in ſin-

gulis foris Civitatum, & liberarum villarum nostrarũ Regalium, & Reginalium, ac quorumlibet aliorum præsentibus hominibus dominorum Archiepiscopi, Magistri Tavernicorum, & Comitis Parochialis, ac uno Iudice nobilium, sub testimonio alicujus Capituli, in eisdem foris, ipsos denarios ampliandos Cameræ, & multiplicandos, publice super tabula sua exponere debeat, & tres ex eisdẽ denariis pro quatuor latis Viennensibus, vel aliis Cameræ nostræ monetis, quinti Anni jam abolitis: aut etiam in aliis præcedentibus annis fabricatis, combustionem Viennensem habentibus cambientur, & sex ex eisdem tam denariis novis, quam annorum præteriti, tertii, & quarti Cameræ monetis, quia ipsorum annorum præteriti, tertii, & quarti denarios in suo esse cursu, & cambio remanere volumus, pro grosso: & octo pensæ, ac sedecim denarii, pro Marca pagamenti, absq; aliqua augmentatione, ubique currant & solvantur. Si qui vero jam dictas monetas nostras, annorũ preteriti, tertii & quarti & etiam hoc anno, pro eorundem ampliatione in eodem valore fabricandas, in numero augmentãtes reperti fuerint, tanquam mandatorum nostrorum Regalium, & statuta Cameræ infringentes, in rebus, & personis per ipsum Comitem Camerarum nostrarum punian-

puniantur nostra authoritate mediante. Item si leviores denarii in istis præsentibus præteriti, tertii, & quarti Annorum Cameræ monetis, vel peioris combustionis, plures, quam octo pensæ, & tres, vel quatuor denarii Marcam ponderantes, apud quemcunq;, sive in Civitatibus, sive aliis locis, sive etiam circa Camerarios, vel suos Officiales, numerum Marcarum augmentantes, ubicunque invenientur, tanquã falsarii nostra authoritate puniantur. Propter quod volumus, & committimus, ut in cunctis Civitatibus & locis publicis, statera cum suis ponderibus semper habeatur, & servetur, ad evitandum, quod mercatores & alii forẽses, aut etiam quicunque ex Civibus, & hospitibus, juxta abusivam eorum consuetudinem & fraudem, graviores denarios ipsius monetæ Camerarum nostrarum, præsentis, præteriti, tertii & quarti, non possint eligere, vel diminuere per incisiones. Istud tamen, pro multiplicatione earum monetarum Camerarum nostrarũ maxime, & specialissime, cum ipso Comite Camerarum nostrarum, juxta suam spõtaneam obligationem, & nostram omnimodam intentionem, volumus & committimus, ut in cunctis locis Camerarum, in quibus monetæ Camerarum cudi solent, nunc in principio, ad minus mille

Marcas, idem Camerarius fabricari faciat, cambio exponendas, qui si non fecerit, tanquam nos seducens, & Regnicolas nostros decipiens remanebit. Item ordinavimus, quod ab hinc unusquisq; cambsores denariorum, ut soliti fore dicuntur, per se servare cesset omnino & desistat. Si enim aliquos ex eisdem cambsoribus, in detrimentum Camerarum servare, & habere ipse Comes Camerarum sciverit, in præsentia hominum dominorum Archiepiscopi Strigoniensis, & Magistri Tavernicorum nostrorum, triumq; aliorum prædictorum, & una cum eisdẽ invenerint, ne dum ipsi cambsores, verum etiam ipsi domini eorũ, in ablatione bonorum, & rerum ipsarum punientur, & dehonestabuntur iu personis. Item florenus, seu Aureus denarius, denar Cameræ, pro nonaginta denariis integris, Cameræ nostræ ampliandis, semper absq; augmentatione, & refutatione ubique acceptetur & cambiatur. Item una marca Auri, põderis Budensis, duodecim caratorum cambitur, cum septem Marcis ipsorum denariorum Cameræ, cum eodẽ pondere Budensi levando in statera, & nullus possit cambire, Aurum vel Argentum, cum pecunia numerata, sed debeat cambire in Camera Regali, pro eisdem denariis ampliandis, levando in statera. Si qui autem secus

ſecus feciſſe, vel facere reperti fuerint pœna condecenti, tanquam tranſgreſſores Regalis mandati, & Statuta Camerarum infringentes, punientur. Cæterum ſtatuimus, ut nullus omnino hominum, cum aliquibus antiquis monetis, aut auro, vel argento in ſpecie, & ſpecialiter cum parvis, & etiam cum mediocribus Viennenſibus, quorum omnimodam extirpationem volumus, & committimus, præter quam cum prædictis monetis Camerarũ noſtrarum mercandi habeat facultatem: Alioquin emptores & venditores ſuas res & bona perdent, & dehoneſtabuntur in perſonis. Præterea nullus mercator extraneus, vel hujus Regni ſuperveniens, palam, vel occulte in domibus, aut Camera ſuas res & bona, tam in pannis quã in aliis generibus, & ſpeciei rebus, pro aliis monetis antiquis, cujuſcunq; formę, auro vel argento vẽdere, aut commutare præſumat, ſed pro monetis Cameræ prædictis: de noticia tamen & ad ſcitum Comitis Camerarum, aut prædictorum hominum Dominorum Archiepiſcopi, & Magiſtri Tavernicorum noſtrorum ac aliorum, dum ad locum depoſitionis ad vendendũ vel commutandum devenerit, vendẽdi habeat facultemat. Si qui autem ſecus facientes, & per ipſum Comitem Camerarum, vel ſuos officiales reperti,

ſeu per eoſdem deprehenſi fuerint, res venditioni, tam in pannis, quam in aliis rebus expoſitas, & pro vẽditis rebus rèceptas, perdant, & puniantur in perſonis: Et ne dum illi, qui per ſe, & ſua propria authoritate, contra ordinationem Camerarũ noſtrarum, & noſtram voluntatem, Aurum, vel Argentum in ſpecie, præter quam in Aureis, aut Argenteis novis denariis, exportantes inventi fuerint, ablatione eorundẽ, & dehoneſtatione perſonarum ſuarum puniantur. Hoc tamen in pręſẽti Articulo ſpecialiter expreſſo, quod Comites Camerarum noſtrarũ, ſub quorum Iuriſdictione, Montana habentur, & exiſtant, pro comparando plumbo, & aliis evidentibus neceſſariis Camerarum & Montanarum, ſine quorum copia minerę Auri, & Argenti minime videntur poſſe procurari, ad noticiam eorundem hominum, domini Archiepiſcopi, & aliorum, ſi tamen evidens neceſſitas id requirit, de Auro vel Argento tãtum, ad comparationem præmiſſorũ habebunt tranſmittendi facultatem. Item ſub cujuſcunq; Comitis Camerarum Comitatu, vel in provinciis præſens noſtra moneta, ex mala procuratione falſificata fuerit, & diſcurrere, ac abundare cœperit: ipſeque Comes Camerarum eandem falſam monetam captivare, & annihilare non procuraverit: Ipſi

Comiti

Comiti Camerarum ſic imputabitur, ac ſi in locis Camerarũ ſuarum ipſa falſa moneta fuiſſet fabricata. Si autem idem Comes Camerarum ad compeſcendum eoſdem falſarios, de eorum malicioſis operibus propriam alicubi non habuerit facultatẽ, ex tunc idem Camerarius, ſub teſtimoniis prędictorum quinq; hominum, veritate de eorum falſariorum maleficiis indagata, & recepta, eoſdem falſarios nobis, & noſtris Baronibus, ac Regno nominatim debeat declarare, & nos pro extirpatione eorundẽ ſollicite tenebitur incitare. Item quia volumus ut præſens moneta noſtra tertię cõbuſtionis amplianda, per totum Regnum noſtrum immutabiliter poſſit perpetuari, & abundare, & ipſi denarii Cameræ noſtræ annorũ prętériti, tertii & quarti, una cum eiſdem novis pariter debeat diſcurrere, & acceptari: Statuentes ordinavimus & committimus, ut in quolibet Comitatu de ſingulis portis, per quas currus, cum fæno, vel frugibus oneratus intrare poteſt, & exire, ſive ſub eadem porta, ſeu Curia portam habente, tres, quatuor, vel etiam plures exiſtant homines reſidentes, ſive ſolum unus cõmoretur in eadem, nec in tantum ſit egens, & pauper, ut ſolvendi non habeat facultatem, quod videlicet prænominati quinq; homines, Archiepiſcopi, & aliorum juxta

ipſorũ conſcientiam ſolvere poſſe cognoverint,& commiſerint, ac domini terræ, ſeu officiales ſibi ſolutionem facere poſſe, vel non poſſe, juramento ſuo dixerint; exceptis ſervis, & conditionariis noſtrorũ Regalium, & Reginalium Eccleſiarum, ac aliorum quorumlibet, nec non, exercituantibus, ſervientibus dominorum terræ, quos ipſi juramento ipſorum exceperint, & iidem quinque homines, ſcilicet Archiepiſcopi, & aliorũ, fore exercituantes inveſtigãdo ſciverint, & etiam exceptis Eccleſiis, Civitatibus, vel aliis, evidenti privilegiatica libertate, fultis, facta dicatione, infra quintum decimum diem, decem & octo denarios prædictæ Cameræ noſtræ, pro lucro Cameræ ipſi Comiti Camerarum, dare, & ſolvere teneantur: Tali tamen expreſſione mediante, quod ubi & in quibus Comitatibus, aut Regni noſtri partibus, portæ ex conſuetudine non habentur, tum etiam propter defectũ lignorum fieri non potuerunt, inibi & ipſi tales prędictum lucrum Camerę, ſecundum quod in aliis temporibus, juxta tamen diſpoſitionẽ, & conſcientioſam ordinationem prædictorum quinq; hominum, infra idem tempus ſolvere tenebuntur. Civitates autẽ & alii Regnicolæ noſtri, prædictam evidentem libertatem habentes, à ſolutione lucri Cameræ taliter ſint exẽpti.

Si

Si tamen ipſas monetas Camerę noſtrę in tenutis ipſorũ, & inter eos ac Iobagiones eorundem acceptari, faciendo, cõtinuum curſum, & cambium eorundem voluerint facere & exercere: Sin autem non per nos, ſed per ſe ipſos, libertates eorum infringentur, & ſic ad ſolutionem ejuſdem lucri Cameræ, ſicut alii Regnicolæ noſtri, ſic & ipſi, dum modo hoc ut ipſa moneta noſtra per eos non fuerit acceptata, nec inter eos, & ad eos pertinentes cambiri curata fuerit, ad relationem quinque hominum prędictorum, videlicet, Archiepiſcopi, Magiſtri Tavernicorum, ac Comitis Parochialis unius Iudicis nobilium, & alicujus Capituli nobis pateat evidenter, tenebuntur: Ita tamen quod quivis Camerariorum ad ſingulos Comitatus ſuæ Cameræ, ſufficientes denarios Cameræ noſtræ, pro multiplicatione modernorũ denariorum noſtrorum, ad ſcitum & noticiam eorundem quinque hominum, in tanta abundantia, quod ipſe Comitatus de ipſis contentetur, dare debeat cambio exponendas, qui ſi non facerent, aut noſtros denarios in tam larga copia cambio exponere non curarent, illic, & in illis Comitatibus jura ſua perdendo, nec dicam faciendi, nec lucrum Cameræ exigendi, habeant facultatem. Solventibus autem in quibuſlibet Comitatibus, unus locus

communis &conveniens, pro dicta solutione, deputetur, & si qui præsentes præ multitudine solventium, aut aliquo alio impedimento præpediti, die assignato solvere non possent, absque aliquo gravamine, quatuor diebus continuis expectétur, nec infra ipsos quatuor dies integros, si solutionem fecerint, possint aggravari. Hoc expresso, quod iidem Comites Camerarum nostrarum, ipsum lucrum Cameræ, ratione cambii signantes impositum, non aliter, videlicet, Viennensibus. aut aliquibus antiquis denariis, vel grossis, per formam compositionis, aut alterius coloris cautela, nisi cum ipsis integris denariis Cameræ nostræ ampliandis, exigere tenebũtur: & quod universos denarios antiquos, aut Viennenses grossos, tam Boemicales, quã Pachienses, & alios cujuscunque formæ existant, exceptis solummodo præsentibus denariis Cameræ nostræ perpetuo currere statutis, comburere & infundere, ac in formam modernorum denariorum nostrorum redigi facere, pro multiplicatione eorundem teneantur: Conditione tali, quod si qui facta dicatione, in termino assignato, lucrũ Cameræ non persolverit, tunc iidẽ quinque homines, ad possessionem, de qua ipsum lucrum Cameræ non est persolutum, accedant, & tamdiu morã ibi faciẽt,

absque

abſque deſtructione, & ſpoliatione poſſeſſionaria, in expenſa moderata ejuſdem poſſeſſionis, donec ipſum lucrum Cameræ, cum judicio trium marcarũ, perſolvatur. Si vero populi vel domini villarum non ſolventium lucrum Cameræ prænotatum, præterito termino ſolutionis, dictis hominibus, in officio Cameræ procedentibus, cum pecunia debita, & judicio jam ordinato, extra villam placatum obviarent: ex tunc ipſi executores negotiorum Cameræ, in talibus Villis deſcenſum facere nequeant aliqualem. Comites autẽ parochiales & Iudices nobilium favore, vel precio corruptos juſticiã Cameræ celantes, & homines de dicta ſolutione defẽdentes, vel quoquo modo cõtra noſtram ordinationem procedentes, dum modo contra ipſos, hoc evidenter poſſit còmprobari, pœnis non ſolventium decrevimus puniendos. Et quia promiſimus ſeriem omnium præmiſſorũ inviolabiliter obſervare: volumus ut idem Comes Camerarum noſtrarum, immutabiliter in præmiſſis perſeveret. Econverſo autem, remedio aliquorum literarũ, poſt emanationem præſentium confectarum, aut acquiſita aliqua aſtutia, quicquam immutare queat de ſingulis præmiſſorum. Quia ſi qui cõtra hoc facere, ex ipſis Comitibus Camerarum attentaret, dictos quinq; homines,

mines, ſine quorum juvamine lucrum Cameræ exigendi nolumus habere facultatem, à ſocietate ipſorum, authoritate præſentium jubemus ſeparari. Nam hanc dicam, non pro exactione antiquarum monetarum, aut Viennenſium, ſed pro ampliatione monetarum Cameræ noſtræ perpetuo diſcurrere in toto Regno noſtro ordinatarum duximus diſponendã. Item volumus, quod dictus Comes Cameræ noſtræ, abſq; prędictis quinq; hominibus, in negotiis Cameræ, in exterioribus ſeu extraneis, videlicet, in Comitatibus fiendis & peragendis, ut pote, in dicationibus & exactionibus lucri Camerę nihil poſſint exercere. Si vero auſu temerario, contra hoc procederent, & in hoc malũ aliquod paterentur, merito patientur, & ſuſtinebunt. Igitur ſi Comiti Camerę, aut ſuis ſequacibus, ac cum eo, pręcedentibus violẽtiam cuipiam inferret manifeſte, tales ſecundum qualitatem & quantitatẽ delicti punientur. Civitatẽſes vero ſub Comitatu & juriſdictione eorundem Comitatuum Camerę exiſtentes, juxta pręſentem taxationem noſtram, & Baronum noſtrorũ, certam ſummam pecuniæ de prædictis monetis Cameræ ampliandis, ſimiliter infra prætactum temporis ſpatium, pro argento cambire, vel finationem evidentem monetæ campſæ, in eiſdem denariis

Cameræ ampliandis, dare, & solvere teneantur: Videlicet, Civitas Trinchiniensis decem Marcas: Item Civitas de Bach, triginta quinque Marcas: Item Korponiia similiter triginta quinque Marcas: Item Civitas Barsiensis quindecim Marcas: Item Civitas de Tirnavia centum Marcas, & Civitas de Tapolchan viginti Marcas, modo prędicto cambire teneantur: Ita tamẽ, quod aut ipsi Civitatenses, receptis ipsis quantitatibus pecuniæ novæ monetæ Cameræ pro qualibet Marca octo pensas in statera ponderanti, unam Marcam fini argenti, vel solum nihil recipiendo, combustionem, seu finationem singularum Marcarum ipsius monetę: Videlicet, de singulis Marcis super ipsos impositis, singulas quatuor pensas prædictarum monetarũ, quarum octo pensæ Marcam ponderant, dare debeant. Si qua autem Civitatum negligens fuerit in solvendo, prędicti executores negotiorum Cameræ in medio talis Civitatis, tam diu permanebunt, quousq; cũ gravamine duodecim Marcarum solutionẽ faciet prænotatam, in expensa tamen ejusdem Civitatis moderata, ut superius est expressum: Eo etiam declarato, quod quilibet Nobilis, super solutione lucri Cameræ, literas expeditorias à Comite Camerę pro uno grosso redimere, licet plures habeat possessiones, teneatur.

Item

Item ſtatuimus, ut in quibuſlibet ſolitis locis in Civitatibus debeat fieri domus Regalis, ad quam omnes homines aurũ, & argentum, ad vendendum, comburendum, & cambiendum deferre teneantur, vel ſi palam, vel occulte alias comburere, vendere, vel commutare præſumpſerint, & in hoc reperti fuerint, per eundẽ Comitem Camerarum omnia bona ſua, pręſentibus ſupradictis teſtimoniis, auferantur, & inſuper ut infideles puniantur. Volumus etiam, ut nullus aliàs, præter quam in Cameram Regiam aurum quot Karatorum exiſtat, probare debeat, ſed Camerarius debeat examinare in domo Regia, & ponere Karatos ſuper aurum, & ſignũ noſtrum regium, & ſic ad Cameram aurum deferatur: Contra hoc autem præſumentes, per eundem Comitem Camerarum, prædicta pœna juſſimus puniendos. Cæterum ſtatuimus, ut nullus mercator, aut quilibet alter, ultra duas Marcas denariorum ad montana ſecum deferre præſumat pro expenſis. Si autẽ idem Comes Camerarum, vel ſui Officiales apud tales ultra duas Marcas reperierint in denariis, auferant bona ſua univerſã, & puniant eos in perſona, præſentibus teſtimoniis ſupradictis. Et ut Camerariorum noſtrorum juſticia appareat in denariis fabricãdis: Statuimus, ut quilibet eorum in ipſorum

rum

rum monetis, signum habeat, per quod moneta per ipsum fabricata cognoscatur. Cæterum volumus ut ipse Comes Camerarum, monetarios, seu cusores denariorum, ubique in Civitatibus, aut villis invenire poterit, & eosdē captivare voluerit, tunc Iudex, Iurati, & universitas Civitatis, vel villę, in qua reperti fuerint, ad requisitionem ejusdem Comitis Camerę, vel ejus officialium, ipsos monetarios captivare, & ad manus Comitis Camerarū teneantur assignare. Secus autem si qui fecerint, eadem pœna, qua monetarii contumaces sunt plectendi, puniantur. Item ipse Comes Camerarum nostrarū in Civitatibus nostris, ubi monetæ nostræ fabricantur, debet habere duo scrinia, in quorum uno ferramenta formalia, sub sigillis hominū, domini Archiepiscopi & Magistri Tavernicorum cōserventur, in altero vero virgulæ pro monetis fusæ, absque monetis novis, sub sigillis tribus, & clavibus tribus eorundem trium hominum, videlicet domini Archiepiscopi, & Magistri Tavernicorum, ac ejusdem Camerarii, debent conservari, & semper in præsentia ipsorū hominum, domini Archiepiscopi, & Magistri Tavernicorum aperiantur, nec possint aliquo ipsorum absente aperiri, vel opera monetarum exerceri: Ita quod si idem Comes Cameratum nostrarum ipsis

ſis duobus teſtibus abſentibus, vel aliquo ipſorum abſente, fractis lancibus, & ſigillis, monetas faceret fabricari, per ipſum Magiſtrum Tavernicorum, tanquā falſarius puniatur, dummodo hoc iidem homines, domini Archiepiſcopi, & Magiſtri Tavernicorum fateantur, ſpecialiter dum funditur argentum, omnes perſonaliter intereſſe debeant, & ſingulis ſeptimanis, ipſos novos denarios noſtros, ipſi homines, Archiepiſcopi, & Magiſtri Tavernicorū, in combuſtione quadraginta eorundem denariorum novorum debeāt examinare, & ſic iidem novi denarii cambio exponentur. Item cuſores denariorum & fabricatores in eiſdem Civitatibus noſtris commorātes, ne ipſe Comes Camerarum noſtrarum pro falſis moneris inculpetur, ſub poteſtate & Iuriſdictione ejuſdem remanebūt. Cæterum, antiqua libertate Camerarum noſtrarū requirēte, ſtatuimus, ut omnes ſervientes officiales, ac monetarios ipſe Comes Cameræ noſtræ, & non alter debeat judicare, & ſi ipſe ex parte ſuorū juſticiam dare neglexerit, Magiſter Tavernicorū noſtrorum prædictus juſticiam facere teneatur, quibuſcunq; querulantibus de eiſdem. Item pro ampliatione earundem monetarū Cameræ noſtræ ſtatuimus, ut univerſi Eccleſiarum Prælati, decimas & debita, ac quoſvis reditus, ac etiam

etiam cuncti Regni nostri Barones & Nobiles, aliique cujusvis status homines, ipsorum provētus universos, scilicet tributa, terragia, & quasvis collectas, à quibuscunq; eorũ debitoribus, & Iobagionibus, tributariis & officialibus, cum ipsis monetis Cameræ nostræ, aut florenis recipere, & exigi facere teneantur. Dummodo ipsi denarii Cameræ nostræ in tanta copia cudantur, ut omnes debitores, sua debita, cum ipsis denariis Cameræ nostræ persolvendi habeant facultatem. Nos autẽ promittentes assumsimus universas nostras collectas Regales, & Reginales, per totum Regnum nostrum, specialiter tributa nostra, & Tricesimas nostras exigi facere, & recipere cum eisdem. Item si qui contra ipsum Comitem Camerarum nostrarum, ratione injuriarũ, seu damnorum aut nocumentorum personis Camerariorũ nostrorum, in officio procedentibus illatarũ, ad nostram, vel Magistri Tavernicorum præsentiam citati fuerint, in primo termino absque ulteriori dilatione, dante justicia, ipsa causa finaliter debeat terminari. Quicunq; autem Comitem Cameræ nostræ prædictum, ordine Iudiciario in causam attraxerit, præfatus Magister Tavernicorum nostrorũ, ex parte ejusdẽ, justiciam faciet nostra authoritate mediante. Hoc etiam ordinavim⁹, ut de quibuslibet

rebus, & bonis ipsarum Camerarum nostrarum ubicunque in terra & in aquis per eorundem officiales deferendis, nullum tributum exigatur. Præterea de qualibet Marca unum pondus ad rationem denariorum, ratione conservationis ferramentorum homini ejusdem domini Archiepiscopi, omni die operis; & dimidius ferto homini ipsi Magistri Tavernicorum, præter summam conventionis nostrę Regalis, persolvatur. Si verò ipse Comes Cameræ nostræ quolibet die operis de singulis marcis cusis, singula pondera denariorum, & dictos dimidios fertones; præmisso modo, persolvere recusaverit, vel dilationem facere vellet, homines ipsius domini Archiepiscopi, & Magistri Tavernicorum ferramenta formalia includendi habeant facultatem. *Item* Aulæ nostræ Vice-cancellario idem Comes Cameræ nostrę proventus ab antiquo consuetos, videlicet, triginta Marcas in terminis solutionis subscriptarum, salvis proventibus Notariorum remanentibus, plenè dare & solvere teneatur. Hoc etiam adjecto, quod injurias, & damna officialibus Camerarum per quospiam irrogata, præfatus Magister Tavernicorum prosequatur, & emendet: De falsariis autem, & eorum fautoribus antiquam Regni nostri consuetudinem volu-

volumus observari. *Item* statuimus ut Comites parochiales quorumlibet Comitatuum, non plus quam tres marcas octo pensarum novæ monetæ nostræ, à Comitatibus Camerarum nostrarum petere, vel recipere, ratione fororum, præsumant. Nobiles autem & cujusvis alterius status homines, fora habentes, prætextu fororum ipsorum, ab eisdem Camerariis, quicquam petere vel recipere non præsumant. Volumus etiam, ut tam Magistri Tavernicorum suos dimidios florenos, quam dominus Archiepiscopus sua pondera, quibuspiam vendere non possint & locare. Quod si fecerint, his juribus ipsorum priventur. Præterea iidem, Archiepiscopus & Magister Tavernicorũ tales homines, in prosequendis negotiorum Cameræ transmittant, qui possessiones habeant, & si demerita ipsorum requirerent, pendere habeant. *Item* Comites Camerarum nostrarum, qui anno sequenti Cameras nostras conducere voluerint, in die Strenarum venturo, de prædictis debitis ipsorum rationem nobis personaliter reddendo, conducant. *Item* quia superius tetigimus, ut præfati quinq; homines executores negotiorum Cameræ super Civitates, huic nostræ ordinationi rebellantes, lucrum Cameræ in expensa moderata commo-

rando, cum subsidio Iudicum, & Iuratorum, earundem Civitatum plene exigere, cum gravamine judicii duodecim Marcarum, & eisdem Comitibus Camerarum nostrarum plenarie persolvi facere teneantur. Ideo volumus, ut si ipsi Iudices & Iurati pręsenti nostro mandato obedire recusarent, extunc ipsum lucrum Cameræ non solutum plene, & dictum Iudicium duodecim Marcarum cum duplo persolvere teneatur: Exprimentes etiam, quod quicunq; res & bona, ratione non observationis aliquorum articulorũ præmissorum, & transgressionis mandati nostri Regalis, seu violationis statuti Camerę, à quibuscunq; personis hominum, & in quibuscunque locis auferentur, in tres partes debeant dividi coæqualiter, quarum duæ partes ipsi Comiti Camerarum, tertia vero in manus prædictorum hominum, domini Archiepiscopi & Magistri Tavernicorum debeat provenire. Item de quibuslibet Marcis, pro lucro Camerę in quibuslibet Comitatibus dicatis, & exactis, unum grossum, seu unum pondus, homini domini Archiepiscopi, alium vero grossum, seu pondus homini Magistri Tavernicorum, dare, & solvere tenebitur Comes Camerarum prædictarum. Istud tamen expresse volumus. quod si ipse Comes Camerarum nostrarum,

rum, ipſam monetam Cameræ noſtræ, in locis ſolitis Cameræ, cudendo abundanter fabricari non fecerit, & ipſe ſolum ad dicam & exactionem lucrum ejuſdem Cameræ ſe diſſimulando commiſerit: Extunc ipſe talis, tanquam nos ſeducens & Regni noſtri deceptor ſeu mendax, contra noſtram Majeſtatē convincatur. Vt autem idem Comes Cameræ memoratam ſummam pecuniæ octingentarum marcarum, nobis facilius ſolvere poſſit, ordinantes decrevimus, ut in Octavis feſti Nativitatis Beati Ioannis Baptiſtæ, Ducentas marcas. Item in Octavis Nativitatis Beatę Virginis iterum Ducentas marcas, & modo ſimili Ducentas marcas in Octavis Beati Martini confeſſoris: Reſiduas vero Ducentas marcas in Octavis diei Strenarum ultimam ſolutionem faciendo, in terminis ſeſe invicem ſubſequentibus nunc venturis, hic in Wijſſegrad, cum monetis prænotatis, modo præmiſſo, nobis tenebitur, pœnam dupli incurret, ſi aliquem terminum præmiſſorum omiſerit inſolutum. Datum in Wyſſegrad in feſto Purificationis Virginis glorioſæ, Anno ſupradicto, videlicet, milleſimo, trecenteſimo, quadrageſimo ſecundo.

VII.

REGIS HVNGARIÆ ELECTIO, CORONATIO, POTESTAS.

REGES Hungariæ Electionis jure regno præficiuntur. Sic Electio S. Stephani, de quâ Legenda dicit: Crevit infans diligenti nutritus educatu, qui transacta pueritia, postquam gradum adolescentiæ primum ascendit, & convocatis pater suus Hungariæ Primatibus, cum ordine sequenti per communis consiliũ colloquii filium suum Stephanum post se regnaturum populo præfecit, & ad hoc corroborandum à singulis Sacramentũ exegit. Posthæc plenus dierum anno Dominicæ incarnationis nongentesimo septimo, sæculi hujus ærumnas cælesti mutauit gaudio &c. *& paulo post:* Post obitum vero Patris, Stephanus adhuc adolescens favore Principum & Plebis in patris solium laudabiliter profectus.

Haud multo interjecto dein tempore, cum Hungariæ Optimatibus placuisset, ut, qui titulo Ducis tot præesset populis, totque viris generis claritudine, auctoritateque magna insignibus, uteretur magis honorata appellatione, *Regiam*

Elege-

Elegerunt Dignitatem. Ranſanus *Indice 9*.

Demum quando poteſtas omnis à Deo eſt, & maxima cœpta ſine Divina ope confirmari nequeunt, regalia inſignia cum Pontificia benedictione piis precibus ut aſſequatur. *Bonfin. libro 1. dec.2. de S. Stephano*. Quarto poſt Patris obitum anno, Divina commonente clementia eundem Aſtricum Præſulem, qui alio nomine Anaſtaſius dictus eſt, & ad limina Sanctorum Apoſtolorum miſit ut à ſucceſſore Sancti Petri Principis Apoſtolorum poſtularet, quod novellæ Chriſtianitati exortæ, in partibus Pannoniæ, largam benedictionem porrigeret. Strigonienſem Eccleſiam in Metropolim ſive ſubſcriptionis auctoritate ſanciret, & reliquos Epiſcopatus ſua benedictione muniret, regio etiam dignaretur ipſum diademate roborare, ut eo fultus honore, cœpta per DEI GRATIAM poſſet ſolidius ſtabilire &c. Præſul Aſtricus ad Papam pervenit, qui officium injunctum ſibi, prudenter exequens, & Sancti Ducis geſta referens ordine, ab Apoſtolica ſede quam promptiſſimus inſignia poſtulavit, indicans eum dignum tali honore & dignitate, qui plures gentes per Dei adjutorium ſibi ſubjugaſſet, multos infideles per ſuam poten-

tiam ad Dominum convertisset. Quibus auditis valde gavisus Romanus Pótifex cuncta prout fuerant postulata benigne concessit, crucem insuper ante ferendam Regi, velut in signum Apostolatus misit: Ego inquiens sum Apostolicus, ille verò merito Christi Apostolus, per quem sibi tantum Populum Christus convertit. Quapropter dispositionem ejusdem prout Divina Gratia ipsum instruit, Ecclesias Dei simul cum Populis vitæque jure ordinandas relinquimus. Impetratis ergo omnibus, prout petiit Præsul Astricus, lætus ad propria remeavit, secum ferens propter quod incœptũ iter prospere peregerat. Benedictionis ergò Apostolicæ literis, cum Corona, & Cruce simul allatis Præsulibus cum Clero, Comitibus, cum Populo laudes congruas acclamantibus, dilectus Deo Stephanus Rex unctione crismali perunctus, Diademate Regalis Dignitatis feliciter coronatur. *Legenda dicta, & Bonfinius d. l. Ransanus d. l.*

Idem Ius Consuetudinarium Hungarorum *parte* 1. *tit.* 3. Postquam verò inspirante Spiritus Sancti gratia, ad agnitionem veritatis, Catholicæque fidei professionem, opera ipsius Sancti Regis nostri, Hungari venere. & eundem spõte in Regem elegerunt, pariter & coronavere.

navere. Et absolutior Regis potestas *Part. 2. tit. 3.* Verum postea quam ad fidem Catholicam sunt conversi, & Regem sponte sibi ipsis elegerunt, tam condendæ legis, quam etiam cujuslibet possessionariæ collationis, atque omnis judiciariæ potestatis, facultas in jurisdictionem Sacræ Regni hujus Coronæ, qua cuncti Reges Hungariæ coronari solent, & subsequenter Principem, ac Regem nostrum legitimè constitutum, simul cum imperio, & regimine translata est.

Quapropter extitit adversus suos & Christi hostes felicissimus, imperium suum victis hostibus primum auxit, stabiliit, exque dignitate Ducali, ad Regiũ fastigium evectus, augustali ornamento decoratus est, quo quidem Regio Diademate, an inter omnium Regnorum regalia insignia, aliud præclarius & religiosius magis sit, dubito? *Generos. Comes Petrus à Revva S. Coronæ Duumvir, de Sancto Stephano, Comment. dicto. pag. 4. f.*

Ardua & confragosa, maximisq; difficultatibus intricata, discursu tamen non indigna hæc quæstio: *Num Hungarorum Reges neminem nisi Deum & Ensem recognoscant superiorem?* Bodinus in libro 1. De Republic. cap. 9. inter Regna, quorum Reges aut fiduciarii,

aut Vectigales Ecclesiæ Romanę fuerunt, scribit: Regnum etiam Hungariæ, & utramque Pannoniam Pontificum Romanorum beneficio, à Regibus teneri jactabant: ut quidem catalogo feudorum Ecclesię Romanæ Hungaria continetur.

De illis Liber manuscriptus è Bibliotheca Ludovici Demolini Rochefortii, Medici & Consiliarii quondam Sabaudici. Ex his Feudatarii sunt Rom. Ecclesiæ in fisco Apostolico scripti: Rex Sicilię & Neapolis feud. Rex Sardiniæ. Rex Arragoniæ. Rex Ierusalem. Rex Hungariæ. Parum absunt *Bodini* verba sed longè ante d. l. Extant etiam in Archivis & publicis actis Curiæ Romanæ, Regum Vasallorum nomina hoc ordine posita; Reges Neapolis, Siciliæ, Arragoniæ, Sardiniæ, Hierosolymorum, Angliæ, Hiberniæ, Hungariæ: hæc descriptio vetus est eorum principum qui ante annos CCCLXXX. fidem & obsequium Pontificibus Romanis exhibuerunt.

Ad eam sententiam Gregorii VII. librum I. Sanctionum sive Epistolarum, sive Registrum, qui erat in Bibliotheca Lateranensi, postea delatus in Vaticanum, Augustinus Steuchus Eugubinus, Episcopus Kisanus, sedis Aposto-

licæ Bibliothecarius, libro 2. contra Laurentium Vallam de Falsa Donatione Constantini, allegat: Eadem propè, aut similis ratio est de regno Hungariæ, de quo idem; Gregorius Episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Salomoni Regi Hungarię salutem, & cetera. Sicut à majoribus patriæ tuæ cognoscere potes, Regnum Hungariæ Sacro sanctæ Romanæ Ecclesiæ proprium est, à Rege Stephano olim Beato Petro cum omni jure, ac potestate sua oblatum, & devote traditum. Præterea Henricus piæ memoriæ Imperator Regnum illud expugnans, Victoriam adeptus, ad corpus beati Petri Lanceam & Coronam Regis transmisit, & pro gloria triumphi sui illuc direxit insignia. Quo principatum ejus dignitatis attingere cognovit: Hæc & alia. Noris de hoc Regno, quod cum à Barbaris, Scythis, ac Pannonibus non Christianis fuisset post Constantini tempora occupatum, ereptumque Romano Imperio, cui Ecclesia hæres successit, fuisse à Christianis Regibus Ecclesiæ Romanæ, cui debebatur, restitutum. Quod de Hispania luce clarius est, quæ & ipsa Barbaris occupata cum esset, Ecclesiæ restituta à Regib. est. Idem Gregorius de eodem Regno ad Geusam Hungariæ Regem eodem libro,

bro, sed non eodem capite: Notum verô tibi esse credimus, Regnum Hungariæ sicut & alia nobilissima regna in propriæ libertatis statu debere esse, & nulli Regi alterius Regni subjici, nisi Sanctæ, & universali matri Ecclesiæ Romanæ: quæ subjectos habet nõ ut servos, sed ut filios. Quod quia consanguineus tuus à Rege Theutonico, non à Romano Pontifice usurpative obtinuit: dominium ejus, ut credimus, divinum judicium impedivit &c. De eodem idem Regno ad eundem regẽ Hungariæ sic scripsit idem summus ac Sanctus Pontifex, capite septuagesimo: Verum ubi correpto dominio nobili, beati Petri Apostolum principis, cujus Regnum esse prudentiam tuam non latet, Rex subdidit se Theutonico Regi, & Regale nomen obtinuit. Dominus injuriam suo illatam principi prævidens potestatem Regni suo ad te judicio transtulit. Et ita consanguineus tuus si quid in obtinendo regno, juris prius habuit, à se sacrilega usurpatione privavit. Petrus enim à firma petra dicitur, quę portas inferni confringit, atque adamantino rigore destruit, & dissipat quicquid obsistit. Hæc magnus ille Pontifex.

Pergit *Bodinus capite & libro dicto:* At in Vaticanis actis legi fiduciæ (*Anno*

no M. CC. XXIX.) formulam, qua Ladiſlaus I. Rex Hungariæ Benedicti XII. Pontificis Romani fiduciarium ſe profitetur, ab eoque Coronam ac ſceptra ſuſcepturum promittit. Ladiſlao verò IV. Regi Hungariæ, quod Pontificis Romani mandatis minus paruiſſet, ſacris interdictum eſt (*Anno* M. CC. LXXX.) nec aliter veniam obtinuit, quam ſi centum argenti pondo, annui cenſus nomine Pontifici Romano dependeret, &c. In extremo plurima ſunt edicta Legati Pontificis, de ſtatu Regni, deque agris publicis Hungariæ, ne Regibus quicquam diſtrahere liceret: ob id enim Andreas Hungariæ Rex Honorii Pontificis Romani edicto Romam venire juſſus eſt (*Honori III.* M. CC. XXI. ut cauſam diceret, cur agri publici partem dîſtraxiſſet. Innocentius (*verba extant inter Innocentii epiſtolas lib.* 1. *epiſt.* 10. *&* *in Gregorii IX. Decretalibus lib.* 3. *tit.* 34. *de Voto & Vot. redempt. cap.* 6. *Licet*) quoque III. juſſit Hungariæ Regem vota patris implere: quod ſi recuſaret, ad proximum quemque Regni ſceptra delaturum, teſtatus eſt. hucuſque Bodinus.

Hæc num vera ſive fictitia ſint, nō erit abſconditum Cancellariæ ſive Archivæ Hungaricæ; nec pro & contra deeſt una

atq;

atq; altera ratio; eaque per *Testimonium Reale & Personale.*

De Reali non opus est verbis, quia RERUM TESTIMONIA adsunt. *Generosus Comes Petrus à Revva S. C. Duumvir, de Corona Comment. &c. pag.* 50. *pr.* Præsertim vero nostri dum divina revelatione, & Angeli jussu primum Regem Hungariæ Sanctum Stephanum Corona isthac potitum esse, norunt, profitenturque, non saltem ut capitis Regii decus & Majestatem tueatur: sed magis ut VERITATIS CHRISTIANAE AGNITAE ET PROFESSAE HUNGARORUM AETERNUM SIT SYMBOLUM ATQUE MONUMENTUM.

Personale duplex est, *Divinum* & *Humanum.*

Ex *Testimonio* divino supradicta fere omnia ex Actis Vaticanis pugnare videntur vel cum ipsa deitate. *Daniel* 2. *v.* 47. Deus deorum est, & Dominus Regum. *Sapient.* 6. *v.* 2. Audite ergo Reges, & intelligite, *vers.* 5. Quoniam cum essetis ministri Regni illius, *hoc est, Dei Vasalli.*

Vel cum Officio Christi: *Ioh.* 18. *v.* 36. Regnum meum non est de hoc mundo *&c. Ioh.* 6. *v.* 15. IESUS ergo cum cognovisset, quia venturi essent ut raperent & facerent eum Regem, fugit in monte.

Vel

Vel cum doctrina Christi. *Luc.* 2. quod ipse se censui submisit, nullumque accepit, sed dare jussit, *Matth.* 22. *vers.* 21. *Marc.* 12. *v.* 17. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. *Rom.* 13. *v.* 7. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui Vectigal, vectigal: cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.

Denique vel cum institutione Apostolorum: *Matth.* 20. *v.* 25. *Luc.* 22. *v.* 25. Reges Gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur, *vers.* 26. vos autem non sic.

Suspensa sententia, fundamentum controversiæ *testimonio Divino* lustravimus, restat *Humanum*: quod *Vniversale* & *Particulare.*

Vniversale excutiendum per *Testimonium Ecclesiasticum* & *Politicum.*

Ecclesiasticum autores habet Pontifices Max. qui *pro* & *contra* seipsos perhibent. *Pro* non admittunt Dd. *Theodorus Reinking de Regim. Secul. & Ecclesiast. S. Imp. Rom. lib.* 1. *class.* 2. *c.* 4. An Imperium Romanum sit à vel sub Pontifice, *num.* 15. *& seq.* Illis legibus non est credendum, quarum auctores repelluntur, *c. fraternitatis. de Hæret. c. licet ex quadam de testib. l. Mathemat. C. de Episcop. aud. Besold. de jurisd. imp. q.* 5. *p.* 12. Testimonium

nium hoc est domesticum, cujus fides improbatur, *l. etiam. & ibi Dd. C. de testib. §. 9. Institut. de testam. l. 1. §. ad quaestionem. ff. de quaestion. Speculat. in tit. de testib. §. 1. num. 11. Prosper Farin. de testibus q. 55. n. 1.* Quia in propria causa nemo testis idoneus. *l. omnibus. C. de testibus.* Idque multò magis, si testis potest praetendere honorem, commodum suum vel etiam modicum interesse. *Anchoran. l. 3. q. 24. Sichard. in d. l. omnibus. n. 2. Chaceran. decis. Pedemont. 79. num. 40. Cravet. cons. 99. n. 2.* Quia nullam idoneam Pontifices reddunt rationem suae testificationis, quo casu testium fides nulla. *l. solum. ubi Bart. Bald. Sichard. C. de testibus.* Haec *Keinking. adi & Amplis. & Consult. Dominum D. Cluten. dil. conclus. 6. lit. a. &c.*

Ponderosa in iisdem tamen actis Vaticanis extat intercessio Principum Hungariae adversus pontificis Romani Legatum; anno MCCCVIII. quae cum diceret Stephanum I. Hungariae Regem à pontifice Romano Coronam Regiam accepisse, accerrimè restiterunt, neque id Romano pontifici jus esse denuntiarunt: nec tamen se prohibere, quò minus Rex Hungariae si vellet, à pontifice Romano Coronam consequeretur. *Bodinus de Repub. l. 1. cap. 9. dicto.*

Testimo-

Testimonia Politica; Pro & Contra oblationem Regni Hungariæ beato Petro sunt. Ius Consuetud. *in tit. ult. Prolog.* confitetur; *quod sit supremus Iudex; ut Papa, & Imperator, vel alius, qui non adstringitur legibus;* & part. 1. tit. 11. *Papa seu summus Pontifex, utramque Iurisdictionem temporalem scilicet & Spiritualem habet.* Ob id *etenim Andreas Rex Hungariæ ab Honorio III. Pontif. Max. vocatus est in jus, propterea quod prædiorum publicorum partem distraxisset anno* M. CC XXI. *Bodinus lib. 6. de Repub. cap. 2.*

Cui Andream se obsequiosum præbuisse anno sequenti vigesimo secundo, haud aliter præ se ferunt ejusdem Regis decreta sive Leges Fundamẽtales Regni Hung. tum in *Genere art. ult.* 31. Et ut hæc nostra tam concessio, quam ordinatio, sit nostris, nostrorumque successorum temporibus in perpetuum valitura, eam conscribi fecimus, in septem paria literarum, & aureo sigillo nostro roborari: ita quod unum par mittatur Domino Papæ, & ipse in regesto suo scribi faciat, secundum, &c.

Tum in *Specie art. 16.* INTEGROS Comitatus; vel dignitates quascunque in prædia, seu possessiones non conferemus perpetuò. *Quæ* omni penitus (*uti loquitur Ludovicus I. Rex in Conclus. Confir-*

 mat.

communis consilium colloquii, &c. præfectus, &c. & post obitum patris, &c. favore Principum & Plebis in patris solium profectus est, quemadmodum ex Legenda S. Stephani suprà dictum est.

Iure quoque offerre non debuit; quoniam post acceptam Coronam à Benedicto VII. Pontif. Max. Hungari eum spontè in Regem elegerunt, pariter & coronavere. Quo facto omnis potestas cumulativa, & non privativa, in Iurisdictionem Sacræ Regni hujus Coronæ, &c. ac Regem nostrum legitimè constitutum, simul cum imperio & regimine translata est. *uti ex Iure consuetudinario supra monstratum.*

Quæ Munia & Bona Sacræ Coronæ propria, antiquitus habuerunt inviolatam legem, testis est ipse Pontifex, quum in jus vocaverat propterea Andream II. Incredibile præterea memoratu est. Quid? Quod in Hungaria semper major vis Coronationis, quam Electionis erat. Nempe: *Ubi Helena, ibi Troja*, ut sic dicam. Quid moror exemplis hoc demonstrare? Eccè Domini VLADISLAI Poloni (qui non vera sacraque Regni hujus Corona, sed reliquiarum capitis Sancti STEPHANI Regis ornamento insignitus fuerat) quique in Partibus Romaniæ juxta oppidum Warna, marina

propè ad littora, per AMURATEM Turcorum Cæsarem circa festum beati Martini Episcopi & Confessoris, in anno gratiæ quadringentesimo quadragesimo quarto supra millesimum debellatus occubuit, pro quorumcunque parte, & quibuscunque, ac quavis ratione, vel titulo factæ, per omnia cassatæ, revocatæ, & viribus destitutæ sunt, quæ nũquam tenentur, &c. *Ius Consuet. part. 2. tit. 14: & paulò post:* ITEM privilegia invictissimi Principis quondam Domini MATTHIAE Regis laudatæ recordationis, &c. ante coronationem suam confecta non tenentur, nisi postea fuissent per eum confirmata.

Potioris confirmationis & explicationis gratia exaudiendus Generos. Comes Petrus à Rewa S.C. Duumvir. qui hoc exemplis propriis & contrariis ad fundamentũ Iuris Consuetudinarii abundè comprobat, iisdem verbis: Quod, cum in patria nostra ELECTIONE plus penè valeat Coronatio, quæ non alia, quam Sacra Corona legitimè peragi possint, ad custodiam ejus major cura, diligentiaque adhibeatur. Non pauci reperiuntur Cæsares, ut nihil de Regibus dicam, qui summa illa Imperiali Corona non sunt insigniti, siquidem aurea illa Cæsareaque Corona, qua soli Romani

Pontifices coronandi jus & facultatem habent, ROMAE tanquam urbe veteris imperii honore, antiquorum triumphis & ſtupendis ſupremæ fortunæ monumentis longè clariſſima dari, ibidemque coronatio peragi, aut ubicunque in Italia ſolet: Italica verò profectio pleriſque Imperatoribus, ſicut & eorum clientibus, qui illos comitari tenentur, ſumptuoſa neque periculi expers exiſtimata fuit. Sanè RUDOLPHUS HABSPURGUS ejus nominis Primus IMPERATOR, Diadematis Imperialis accipiendi cauſa Italiam ſalutare abnuit: quod Cæſarum Italiam proficiſcentium, veſtigia læta, & ſpei ſplendidæ plena, ex Italia verò redeuntium triſtia, luctuoſaque noviſſet. Hic tamen Imperator, ſicut CONRADUS quoque Primus & Secundus, HENRICUS Auceps, LUDOVICUS QUARTUS & multi alii; quin & FERDINANDUS, MAXIMILIANUS, RUDOLPHUS, ſola electione pro veris & legitimis Cæſaribus habiti ſunt, plenariaque Imperiali juriſdictione, atque auctoritate potiebantur. In Hungaria verò, etiamſi conſenſu atq; ſuffragiis omnium Ordinũ Rex pronunciatus ſit, & Regni habenas compluribus annis cum laude tenuerit, niſi vetuſtiſſima iſthæc

Corona redimitus & consecratus fuerit, nulla indulta, nullæ collationes, nulla ejus Privilegia locum vel pondus aliquod, habent, & meritò pro Interrege censetur. Exemplis illud declarare pluribus facilè omnino esset, missis aliis, unum atque alterum referam. Quem fugit, VLADISLAUM ELECTUM Regem Hungariæ fuisse, & pro defensione nostræ patriæ, Marte aperto ad VARNAM, cum potentissimo Turcarum Imperatore AMURATHE fortiter, animosè, & magnanimè planè depugnasse, in eodemque prælio mortem oppetiisse. Sed siquidem Corona Sancta coronatus non fuit, nulla ipsius Privilegia monumentum aliquod habent. Sic nec MATTHIAE PRIMI donationes, toto ferè sexennio ante coronationem emanatæ, nisi post coronationem per eundem fuissent confirmatæ & stabilitæ, vigoris vel firmitatis alicujus sunt. Vngariæ certè Reges maximum dignitatis vigorem, decusque à Sacra Corona petere habereque existimant, huic condere leges, salutares utilèsque, inutiles antiquare permittant. Hanc velut legem legum statuunt, hanc pœnarum ac talionum discrimina pensare; huic juramenta solennia præstare, huic hæreditates sacras & prophanas adscribere dicareque, peculiaque omnia

sua,

sua, tanquam ad fontem unde omnia profluxerant, redigere Hungari consuevêre; unde castra complura, & Civitates Liberæ ac Regiæ bona sacræ Coronæ nuncupata, sanctam & inviolatam obtinent legem, ut nec Regi ipsi, nec cuipiam alii, mortalium ad alium usum fructumque conferre (& ut nos loquimur) abalienare liceat. Denique tanta vis ejus est, ut non saltem in legem Majestatis peccet, qui illam lædere præsumat: sed in ipsam religionem & divinitatem delinquat. *Hæc ille Comment. d. pag.* 50. *& seq.*

En aliud in Iure Consuetud. *part.* 1. *tit.* 11. Sciendum autem quod licet Papa seu summus Pontifex, utramque jurisdictionem temporalem scilicet, & spiritualem habeat, in collationibus tamen beneficiorum Ecclesiasticorum pro tempore vacantium in hoc Regno, summus ipse Pontifex nullam jurisdictionem exequitur, præter confirmationis auctoritatem: Et hoc quadruplici ratione. PRIMO ratione fundationis Ecclesiarum. Quia Reges Hungariæ cum soli fuerint omnium Ecclesiarum & Episcopatuum, Abbatiarumque, & Præposituraram in hoc Regno fundatores, per ejuscemodi fundationem omnem facultatem juris patronatus, nominationis, electionis, ac

collationis beneficiorum, sibi ipsis acquisierunt & vendicarunt, &c. SECUNDO ratione susceptæ Christianitatis. Quia Hungari non per prædicationem Apostolicam, vel Apostolorum, quorum Principis vicem & personam in terris Papa gerit, sed per institutionem proprii Regis eorum Sanctissimi videlicet Stephani Regis, &c. conversi sunt ad Catholicam fidem, &c. TERTIO ratione legitimæ præscriptionis, &c. QUARTO, quia ista libertas Regni, &c. in generali ac celebri concilio Constantiensi, &c. corroborata, jurisq; jurandi religione firmata fuit. *Huc quadrat Canon, quo Logici ita subsumunt:* Si id non inest, quod magis inesse videtur, nec illud inerit, quod minus inesse videtur.

Redeo jam quasi è diverticulo ad Testimonium humanum Particulare, ex quo plurimi autores Historico-Politici contraria opinione proficiscuntur. *Ioannes Aventinus verò, de Gregorii* VII. *concione habita Romæ, scribit lib.* 5. *Annalium Bojorum (pag.* 351. *edit. Basil. in fol. anno* 1615. *qua docuit.* Se majorum vestigia, patrum scita, placita magistrorum Ecclesiæ, legem divinam, summum cælestis thesauri jus se insequi, Christum dominum Deumque nostrum Divo Petro, ejus successoribus Romanis

episcopis censuram totius orbis humani detulisse; eosdem cælitus constitutos censores esse, qui judicarent de moribus, de curia cælesti atque spiritibus æternis, nedum mortalibus. In arcanis sacræ historiæ contineri, divina oracula esse, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferni non prævalebunt adversus eam: & tibi dabo claves Regni cælorum, quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis. Nemo omnium (inquit Septimus) ne Reges quidem atque Imperatores hic excipiuntur.

Iosias Nolden de Statu Nobilium *cap. 2. n.* 83. Quamvis Hungariæ Duces Regiam Coronam à Pontificibus acceperint, Bodin. l. 1. de Repub. cap. 9. Pontificem tamen neque Imperatorem pro superiore recognoscunt *Reichs Abscheid,* de anno *66. zu Augsp. §. Uber voriges haben uns. 69.* Ibi. *Da doch solche Landtschafft*, intellige Hungariam, *dem H. Reich Teutscher Nation jhn nichts nit vervvand oder zugethan.* sic Nolden.

Neque Legenda Sancti Stephani, quæ jussu Colomani Regis à Carthuito Episcopo conquisitè, sicuti in dedicatione Legendæ extat, descripta est, de oblatione vel traditione beati Petri, vel verbulo aliquam mentio-

nem facit, nihil prætetea Decreta S. Stephani & Annales Hung. de oblatione dicta habent aut proferunt; Quin hoc potius Carthuitus in Legenda dicta & ex illo Bonfi. dec. 2. lib. 1. de S. Stephano pro certo referunt, se suumque Regnum in potestaté & perpetuum Patrocinium castissimæ virginis D. Mariæ addixisse, tenor verborum Legendæ iste est: Erat interea Rex idem fidelis in omnibus actibus suis Deo perfecte deditus, per votum & oblationem seipsum cum Regno suo sub tutela perpetuæ virginis Dei genitricis Mariæ precibus assiduis conferens, cujus gloria & honor tam celebris inter Hungaros habetur, quod etiam festivitas assumptionis ejusdem Virginis sine additamento proprii nominis ipsorum lingua dies domini vocitetur.

Votum hoc & oblationem, ut omnibus conspicuam facerent quovis tempore, & aurum & argentum Hungaricum, in Ducatis & minutis æris, scilicet Grossis & Denariis, Effigie D. Mariæ, & & non B. Petri cum hac inscriptione: PATRONA HUNGARIAE, signant.

De Ladislao quoque 1. Rege, nihil quicquam tale Decreta & Legenda ejus, iidemque Annales produnt. Ladislaum verò IV. annuum censum non dependisse Pontifici Roman. ex Thwroczio planum

planum est: Insuper contra eum, quia Cumanicè & non catholicè conversabatur, Philippus Firmanus sedis Apostolicæ Legatus advenit, &c. Regem anathematis vinculo feriens, ut paganos odio haberet, ritum Christianorum diligeret, & thoro viveret conjugali: sed nihil in Rege proficiens repatriavit. *part. 2. cap. 80. De cap.* Licet, *&c.* ext. de Voto addatur *Lud. Molina Hisp. de Hispan. Primogen. lib. 1. cap. 9.*

Exindè nova de Sacra Corona controversia non erat, cum post Ladislaum dictum, Andreas III. Venetus voluntate Optimatum Diadema consumpsisset, ut opinatur Generosus Comes Petrus à Rewa. *Comment. d. l. pag. 25. m. f.* Quia in hujus imperio quidam nobiles Regni, Iohannes scilicet & Henricus Banus filii Henrici, ac Vgemus filius Poch de Wylak; aliique quam plures in Præjudicium Regis ANDREAE, à Papa Bonifacio VIII. Regem petierunt. *Thuvrocz. part. 2. cap. 82.* Quorum ad instantiam Papa admittens quendam puerum XI. annorũ nomine Carolum. anno Domini MCCXCIX. vivente adhuc Andrea Rege in Hungariam destinavit. *autor d. l. cap. 83.*

Secundum Andreæ Regis obitum, qui annos ferè undecim regnavit, inter optimates

mates diſſenſio maxima oritur, atque bipartito potentatus omnis planè dividitur. Nam quum pars maxima iniquo animo ferret, ob Caroli ingreſſum, qui Pontificia auctoritate ſibi Regnum exposcebat, Vngaros eligendi poteſtate privari, eamque præter æquum & fas à Pontifice uſurpari: ne ſuo jure cederet, alium inducendum eſſe decrevit. Cæteri mitiore ingenio prædìti, Carolo favebant, &c. *Bonſin. dec. 2. lib. 9.*

Ne itaque Hungari libertatis ſuæ in electione Regis jacturam acciperent, quam nimirum per PONTIFICIS BENEDICTI NONI CAROLO Vngariæ Regni habenas ſuffragantis auctoritatem, cenſuram, & anathematis ſeveritatem læſam exiſtimabant, VENCESLAUM VENCESLAI filium tredecennem è Boëmia vocarunt. Comes Petrus à Rewa. *Comment. d. l. pag.* 26. ut Regni ſuſciperet gubernacula Hungarorum: NE REGNI LIBERI LIBERTATEM AMITTERENT IN SUSCEPTIONE PER ECCLESIAM DATI REGIS. *Thvvrock. d. l. cap.* 84.

Ac adeò veteres illi Hungari libertatis amorem, cum religione Coronæ inviolatam conjunctamque habebant, obliti beneficii ſummi ac veteris Benedicti

Septimi,

Septimi, à quo Sanctam acceperant Coronam, extremam etiam censuræ ecclesiasticę vim, veluti fulmen adjectam contempserint. *Comes Petrus à Revva d. l. pag. 26. pr.* Verum hinc præ indignatione longè majus facinus est exortum. nam quum sacerdotes interdicta sacra servarent, parerent Pontificiæ censuræ, tunc plerique *Bonfin. d. l.* surrexerunt pseudo-sacerdotes & perfidi, qui manifeste divina populo celebrabant, & sacramenta ecclesiastica ministrabant publice interdictis. Insuper malum malo cumulantes perniciosius, convocato populo, accensis lucernis, summum Pontificem Christi vicarium, Archiepiscopos & Episcopos universos Regni Hungariæ, ac viros religiosos communiter excommunicatos, altis vocibus promulgabant. *Thvvroz. d. l. cap. 86.*

Postquam autem VENCESLAUS partim propter incerta Procerum studia, partim Pontificis comminationes CAROLO æmulo Regno imminẽte, minus se tutum reputans Hungariam sponte dereliquisset. *Petrus à Revva. dicta pag. 26. m.* Ad hoc enim res Vngarica ipsa devenerat, ut præ intestina discordia nullum adhuc Regem solidum haberent. Quinetiam illud magis Vngarorũ animos exacerbabat, quod creandi Regis potestatem, quam olim

nunquam amiserant, nunc Pontificem eripere velle cõspicarentur. Quod quum hactenus impetrare non potuerit, nunc ut extorqueat, ac tale jus vendicet sibi, &c. (*Sequentia verba retinet Petrus à Revva*) ab omni Pontifice, vel in primis maximo alienum esse debet. Quicunque igitur Pontificiæ voluntati imperio adversabantur, pueroque Carolo infesti erant, cum magna nobilium manu conjurarunt: & Othonem Bavariæ Ducem loco Regis in Vngariam duxerunt. *Bonfin. d. l.*

Serò tandem urgente Pontifice, ad CAROLUM recipiendum adducti, donec corona à LADISLAO WAYWODA Transylvaniæ, capto ipso OTTHONE, & in carcerem detruso, eripitur, WAYWODA, &c. post multas tandem censuras, & gravissimas Pontificis monitiones minasque Coronam CAROLO tradidit, & omnium Ordinum votis atque studiis accedentibus & de more coronatus est, vindicavit se à publico contemptu, & gentis discordia in hoc Rege. CAROLO Sacra Corona, &c. *Comes Petrus de Revva. d. l. pag. 29. m.*

Et hæc sunto ex Testimoniis aliorum fideliter pro & contra Regni & Regis absolutam potestatem allata, quam meis verbis illibatam sine ulla sententia definitiva,

nitiva, illis quibus intereſt dijudicandam relinquo, proteſtorque hac diſquiſitione nemini jus ſuum detracturum.

Citra tamen Controverſiam hanc, alia ſuboritur, in quam incurrit Regis Hungariæ Majeſtas & poteſtas. *Reinking de Regim. Secul. & Eccleſ. lib. 1. claſ. 2. cap. 2. n. 45.* Qui eſt tributarius alterius, ille Majeſtatis jura non habet. Quia ſolutio tributi arguit ſubjectionem Decret. *Greg. lib. 3. tit. 39. cap. 2. Auguſtin. ſuper Epiſt. ad Rom.* Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit: & infra. Et vos ſubditi eſſe debetis. Ideo enim tributum præſtatis: quia hæc eſt probatio ſubjectionis. At Hungariæ Reges olim & hodiè tributarii vocantur ab Hiſtorico-Politicis.

Olim perſtringere & eodem ferè quo cadaver loco habere Regum Hung. Poteſtatem non erubuerunt. *Wolfgangus Lazius de Migrat. Gent. lib. 7.* inquit: Tres in Hungariam Henrici III. inſignes expeditiones factæ: in quarum prima, ſuſcepta anno M. XXXIX, ad tributum Aba Rex Hungarorum compellitur, *Aventinus 5. annal. Bojorum:* Ovo (al. Aba, Vvo, Obo, &c.) miſſis nunciis pacem ſupplex petit, partem Regni ab Hoſtiis & fontibus Mauri fluminis ad fines Chariorum; & quicquid intra amnes

Litham,

Litham, Pischamque continetur, quæ pars quondam D. Stephano amicitiæ causa tradita erat, Cæsari reddidit: insuper se quadringenta auri talenta Teutonica, totidem serica pallia mulctæ nomine tributurum, & tanto auri pondere damnum à se datum compensaturum, captivos omnes, Gisalæ Reginæ quæcunque Petrus ademerit, restituturum pollicetur: Pezilonem ducem, cum septem aliis optimatibus, in quos animadvertendi more majorum, si pactis non staret, & postridie Calendas Decembris verba promissa, factis non comprobaret, jus foret, ob fidem tradit. *Idem ex hoc Lazius Chorogr. Beschr. K. H. d. l. cap. de Hungaris.*

In secunda Petrum Regem. *Sigebertus Gemblacens. Chorograph. anno* M XLIII. Henricus Imp. iterum Hungariam ingressus, cnm paucis Abbonem Regem de bello fugavit, & lanceam insignem Regis recepit. Petrum verò quem Abbo expulerat, Hungarorum Regno restituit, & Hungariam sibi tributariam fecit. Sic & Lazius *Chorogr. d.l. cap. de Hungaris:* Anno Christi M XLIV. *ist der Keyser mit seinen Teutschen vnnd Behmen auff Stulvveissenburg gezogen, allda König Peter eingesetzt, vnd jhme in der Kirchen das Land Hungern als einē Vasallen verlihen.*

In tertio procinctu, qui fuit anno MXLVI. *Lazius de migrat. d.l.* Cæsar in Vngariam navigat, Albamque Regiam petit. Vbi honorificè Quinquagenalibus excipitur. Ipso die festo Petrus advocata concione Regnum Vngariæ cum hasta aurata reddit, fasces Regni ad pedes Cæsaris deponit, cum maximo auri pondere, quod militibus suis Cæsar distribuit. Regio inde luxu convivium initur, cæna dubia apponitur. Cæsar armatus, armatisque septus ob perfidiam inimicorum epulatur: septem ibi dies commoratur. Abiturus cunctos accersiri jubet, quos idoneos ducebat, eorum consilium habet. Ita more majorum ex concilii decreto Regnum rursus in fidem Petro tradit: Vngaros sacramenta redintegrare imperat, eos non alium Regem præter Petrum & filium ejus recepturos, cæterum post horum fata in potestate Cæsarum fore, persancte dejerare, ritu solenni sancire præcipit. *Aventinus 5. annalium d.l.*

Idem autor de Andrea Rege I. qui interempto Petro ab Vngaris ann. MXLVII. electus est: Legatos ad Cæsarem in Italiam proficisci jubet, qui ipsum muneribus, purpuratos donis placarent, docerentque Petrum domestica seditione interemptum: percussores omnes pœnas

Q dedisse,

dedisse, se à popularibus Regem salutatum. Quod si Cæsar autor fieret, se tributum quotannis pensitaturum, redditurumque omnis conspirationis autores, pollicetur.

De Salomone Rege qui ob infeliciter res, auxiliis externarum gentium, contra patriam gestas, rejectus est, hæc habet *Thvvrocz. part. d. cap.* 54. Rex autem Salomon, conquerebatur Cæsari (Henrico IV.) de amissione Regni, dicens: Quod de Regno suo violenter esset expulsus; & non tantum sibi sed magis Imperio Cæsaris hæc injuria esset illata: & dicebat; tua quippe Hungaria, tuum regnum, in quo me regem constituisti, me regnante optima quæque regni illius tuæ majestati gratanter offerebantur annuo censu; & secundum mandatum tuum tibi serviebatur, &c. *Idem ex hoc Bonfin.dec.2.l.*4.

Hodie quoque Turcarum Reges Imperatorem Germanorum tributarium vocant, propterea quod pacem ea lege dixerunt, ut annuum tributum pro fruenda Hungariæ parte fisco Turcarum inferatur. *Bodinus de Repub. lib.* 1. *cap.* 9. *Idem:* Cum ad vim prolapsa res esset, populus Turcarum opes eblanditus est contra Ferdinandum, cui tamen provincias aliquot fruendas Turca reliquit, ea lege

ut

ut fisco vectigal annuum dependeret. qua ex re, Turcarum Princeps, Imperatorem Germanorum se tributarium habere gloriatur, *Bodinus de Repub.lib.5. cap.6.*

His non obstantibus, verum & sacrum omnino esse puto, jus absolutæ Potestatis & Majestatis penes regem & regnum Hungariæ residere, idque sequentibus potissimum fundamentis; Testimonio *Vniversali* & *Particulari.*

Vniversale *Ecclesiasticum* est, quæ disquisitio cum ante dictis collata, invicem explicationem suppeditabit.

Politicum, est in Constitutionibus Imperii, *Reichs Abscheid* de anno M. D. LXVI. *Zu Augspurg*, §. *Vber voriges haben vns Churfursten, Fursten, vnd Stande, in jhren bedencklichen anzeigen, vnter andern auch furbracht vnd anlangens gethan. Dievveil sie nun etlich mal mehr gedachtem vnserm geliebten Herren vnnd Vatter, Keyser Ferdinandum, hoch loblicher Gedachtnus, jhr mitleidentliche hulff, zu rettung desz Konigreichs Hungern, gutvvillig erzeigt, vnd sich mit ansehenlichen* Contributionen *desz gemeinen Pfennings, vnnd anderer Reichs hilffen beladen, an Gelt, vnd Leuten getrevvlich zugesetzt, auch jetzund vns zu allen vnterthanigstem Gehorsam, in*

ein mercklich ansehenlich hohe Reichs-hulff, abermals gedachtem Land, furnemblich zu gutem einlassen, da doch solch Landschafft dem heiligen Reich Teutscher Nation, in nichts nicht vervvand, oder zugethan.

Itaque recte sentit *Hermanus Kirchnerus de Legatis lib. 1. cap. 3. num. 21.* Bellum Vngaricum Imperii per se non est, sed regni ab Imperio separati. Neque Imperator quoad titulum & dignitatem regis Vngarorum, à Germania agnoscitur & colitur: neque causæ Vngaricæ in comitiis cùm proponuntur, ut Imperii, & ut propriæ, sed ut sociæ & confœderatæ, pro quibus intercedere apud exteros, legatione missâ, cuivis amico & benefaventi rebus Vngariæ principi licet. *Idem ex hoc Iosias Nolden de Nobilitate d.l.*

Et *Theodorus Reinking de Regim. Secul. S. Imp. Rom. lib. 1. class. 2. cap. 9. n. 26.* Cum verò tam Caroli V. quam Ferdinandi Impp. temporibus maxima auxilia Hungariæ nationi adversus Turcam exhibita, non sine ratione Maximilian. II. Imperat. putavit, hoc regnum, si gratum esse vellet, Imperio uniendum *d. Recess. de anno* M.D.LXVI. §. *Vber vorigs.* ibi; *das es nicht vnzimlich oder vnbillich, das zu einer danckbaerkeit*

keit gemelt Land zu Hungern, da es durch Gottliche milte Gnad, von dem Feind errett, in etvvas auffnehmen gedeihe vnd zu krafften kame, es dem heiligen Reich auch zugevvandt, verbunden, vnnd zugethan, auch gegen andern Feinden, vvo sichs zutruge, vnd als Romischen Keyser, Churfursten, Fursten, vnnd Standen, behulfflich beystandig sein, auch gleichfals mit in gemeine Reichs contributionen *eingezogen vverden solt.*

Particulare testimonium est merum Historico-Politicum. *Generosissim. &c. Comes Petrus à Revva Comment. sapè citato pag.*8. simpliciter propugnat, per beneficium Henrici III. Imper. factum Petro Regi Hung. ingentibus Germanorum copiis, Vngariam nunquam Vectigalem Germanis fuisse. Quamvis nonnulli ex scriptoribus in ea sint opinione, quod illo tempore vectigalem fecerit sibi Vngariam, prætextu nimirum tanti beneficii, sed meo quidem perexili judicio, non sine injuria optimi illius Imperatoris. Neque enim existimandum putaverim, vel in mentem magno illi Imperatori venisse, oppresso à suis PETRO, & ad se tanquam ad sacram anchoram confugienti, sub specie aut simulatione auxilii inferre detrimentum,

ut quidam refert; quin potius veram hanc Imperatorii facinoris laudem fatemur, atque æternam nominis ipsius celebramus gloriam? in sedem suam legitimum Regem collocare, dignitatisque pristinæ culmen restituere.

VIII.

DE STATU ECCLESIASTICO HUNGARIAE.

IN regimine Ecclesiastico sunt Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Præpositi cum Presbyteris reliquis. Archiepiscopi duo sunt: Strigoniensis & Colocensis. Strigoniensis, Legatus Apostolicus & Primas Regni habet opulentissimum Archiepiscopatum. Nam florentibus rebus ad centum millia aureorum proventus se extendebat, nunc verò vix dimidium obtinet. Porro Hungaria habet duodecim Episcopatus opulentos, adeò ut major eorum numerus cum Principibus & copiis militũ & proventuum amplitudine, ubertateque fructuum facile possit comparari. Habentur etiam ut Principes. In consilio enim Regiæ primi assistunt, familia ampla &

& culta utentes, & ut de more magnorum Principum est, non nisi prægustatos cibos potusque sumunt. Ex his decem instituit S. Stephanus. Itemque Abbatiam S. Martini & Basilicam Albæ Regalensem, *de quibus & aliis Legenda S. Stephani, Thvvroczius.* Cum etiam pius Rex Ladislaus armatus esset humilitate, potens in pietate, præcipuus tamen erat in largitate. Omnes enim Ecclesiæ & monasteria regalia sive ab ipso sive à quocunque alio fundata, eleemosynis ejus sunt locupletata. Vnde merito usque in hodiernum diem Eleemosynas ei narrat omnis Ecclesia Hungarorum. Duos quoque Episcopatus ordinavit & Regia largitate locupletavit, &c. Strigoniensi Suffraganei Episcopi subsunt: I. Agriensis, Egri. II. Quinqueecclesiensis aliâs Peuchiensis, Péczi. III. Vesprimiensis, Bezprinyi: cui ex veteri concesso privilegio competit, Reginas Diademate inaugurandi atque coronandi, qui & Cancellarius Reginæ esse consuevit perpetuus, singularis Privilegii prærogativa. IV. Iaurinensis, Gyori, V. Vaciensis, Vátzi. VI. Nitriensis, Nytrai. Colocensi & Bachiensi suffraganei subsunt: I. Zagrabiensis, Zábragi. II. Transylvaniensis, Albæ Iuliæ, Gyula feiervari, III. Varadiensis, Varadi,

IV. Chanadienſis, Czanádi. V. Boſznenſis alias Diacoienſis, Bóznai. VI. Sirmienſis, Szeremi. His addunt quidam Cibinenſem ſive Hermanſtadienſem Epiſcopatum in Tranſylvania: Et Mercator Suinienſem, Suidnicenſem puto in Sileſia. Sunt & multæ Abbatiæ, & ea præſertim quæ Divo Martino ex Pannonia oriundo dedicata eſt. Archiabbatia appellatur ab Hungaris: cum ejus Abbas dignitate univerſis, qui ſunt in Hungaria Abbatibus antecellat: nec ulli ſubſit niſi Romano Pontifici. Sunt & multæ Præpoſituræ regnis non diſſimiles. Ex quarum præcipua Præpoſitus Albæ Regalenſis in Vngaria Epiſcopis comparatur. *D. Beatus Widman apud Goldaſt. num. 33. von der* Succeſſion *vnnd Erbfolge des Koniglichen Geſchlechts vnnd Stams in dem Konigreich Hungern, mit dem Hauſz Oeſterreich auffgerichtet*, &c. Ex his plurimos conjugatos Presbyteros ante cccc. annos in Pannonia, ritu Græcorũ & modernorum Prædicatorum Euangelii, Decreta S. Ladiſlai & Colomani Regum Hungariæ, expreſsè referunt. Nec prætereunda hoc loco Conſignatio Annatarum à Præcipuis Vngariæ Præſulibus Romano Pontifici quotannis tributarum. Ex immenſo Catalogo Annatarum & taxationum Eccleſiarum & Monaſteriorum per univer-

universum orbem flo.82. Agriensis flor. 800. Boznensis flor. 200. Colocensis Arch. flor.2000. Czanadiensis flor.800. Martini Sacr. Mont. Pann. flor.250. Nitriensis,flor. 2000. Quinqueecclesiensis, flor. 3300. Sekszardiensis, Salvat, flor. 266. Strigoniensis, flor. 2000. Vaciensis flor. 500. Varadiensis flor. 2000. Veszprinésis flor.800. Zagrabiensis flor. 400. Nomina reliquorum locorum ita depravatè sunt impressa ut vix conjecturis assequi possis? ideoque plura adscribere piget. Petrus Bertius Rerum Germanicarum de Proventibus Ecclesiasticis Germaniæ, qui anno Christi M. D. XXII. in conventu Noribergensi æstimati libelloque singulari comprehensi, atque in lucem editi sunt, idem de quibusdam Episcopis Hungariæ refert. Has ut summus Pontifex remitteret Episcopis, Ordines & Status Regni Hungariæ supplicabant Regiæ Majestati Ferdinando I. art. 14. Poson. anno. M. D. L. ut oratore misso efficeret apud illum gratuitam confirmationem Episcoporum, & Bullæ redemptionem.

Vt autem Ecclesiasticus Vngariæ status melius cognoscatur, placuit breviter & succinctè totam ejus formam sic complecti.

ARCHIEPISCOPATVS REGNI VNGARIAE DVO.

Strigoniensis *habet Suffraganeos Episcopos.*

AGriensem,
Quinqueecclesiensem, aliàs Peuchiensem,
Vesprimiensem,
Iaurinensem,
Vaciensem &
Nitriensem.

Colocensis *&* Bachiensis *habet Suffraganeos.*

ZAgrabiensem,
Transylvaniensem,
Varadiensem,
Chanadiensem,
Suidniciensem,
Bosxnensem, aliâs Diacoiensem, &
Sirmiensem.

IN CROATIA ET DALMATIA.

Archiepiscopus Iadrensis *habet suffraganeos.*

ANsarensem,
Vegliensem,
& Arbensem.

Archie-

Archiepiſcopus Spalatenſis *habet Suffraganeos Epiſcopos.*

TRaguriensem,
Scardinenſem,
Tininienſem,
Novenſem,
Sibinicenſem,
Temnenſem,
Segnienſem,
Almiſienſem,
Modruſienſem,
Macarienſem &
Pharenſem.

Archiepiſcopus Raguſinus *habet ſuffraganeos Epiſcopos.*

STagnenſem,
Roſonenſem,
Tribunicenſem,
Catharienſem,
Bacenſem &
Biduanenſem.

IX.

DE STATV POLITICO REGNI HVNGARIAE.

QVemadmodum Majeſtas & auctoritas penes regem eſt, ita ſua per miniſtros ſuos, ſive adjutores exſequitur.

Adjutores vel gubernant, vel Iudicia tractant. Ad gubernandum olim Andreas I. Rex & frater ejus Bela habito conſilio diviſerunt regnum in tres perſonas, quarum duæ in proprietatem Regiæ Majeſtatis ſuæ manſerunt; tertia verò pars in proprietatem Ducis eſt collata. Videlicet in agro Syrmienſi, Præfectura Temeſwarenſis & Nador Albenſis, cujus etiam erat Tranſylvania. Quæ dignitas erat Regi proxima. Hæc igitur prima Regni hujus diviſio, ſeminarium fuit diſcordiæ & guerrarum inter duces & Reges Hungariæ. Propter conſanguinitatem & conſuetudinem imperii, quibus dominandi illecebris quilibet, quicunque fungi ejuſmodi Ducis dignitate conſueverat, ad Regni dominatum adſpirabat, ob id hæc dignitas ſubmota eſt: ſed plura de hac aliàs. Hodie gubernant igitur Iudices Re-

gni Ordinarii vel Officiarii. Regis nomine Iudices ordinarii sunt, imprimis Palatinus, deinde Iudex Curiæ, & postmodum Secretarius, Cancellarius si præsens fuerit, sin autem non, Locumtenens, hoc est, qui sigillum judiciale Regiæ Majestatis pro tempore tenet. *Matth. articul.* 68. *Vladisl. Primus, articul.* 33. 42. & 70. *Sigismundus Sext. articul.* 1. De Palatino hæc Lazius scribit: *der* Palatinus *oder Pfaltzgraff ist der nechst im Reich nach dem Konig, vor vvelchem die Hungern vorzeiten vvan sich ein Konig vbel hielt, macht haben gehabt zu vergleichen, vnd diese dignitet kombt nicht auff die Kinder, sonder vvird allzeit der* Palatinus *von gemeiner Landschafft vnd Freyer vvahl ervvelet*, hæc ille. Est Curator Regni, Coronam præferens, Strigoniensem tamen sequitur. Hodieque vigore *articul.* 3. *Poson.* M. DC. VIII. ad eligendum Regia Majestas, duas ex statu Catholico-Romano & totidem Evangelicæ Confessionis personas, Statibus & Ordinibus nominat ac proponit, ex quibus quemcunque ad gerendum tale officium idoneum fore judicant, invocato numine divino eligunt, &c. *Plura de illo Matthias in Decreto Speciali.* Iudex Curiæ, dignitas ensem

Regi

Regi præferens, & Regia judicans defectusque feminis. *Der Hoffrichter*, hac autoritate, ficuti in Germanorum Principum Aulis Marschalli, (*die Marschalch,*) sunt, Cancellarius Summus, Regis personæ præsentia. Et perpetuus, qui est Metropolitanus Strigoniensis, qui & Primas Regni & Summus Secretarius nominatur ac prærogativam habet electum Regem inungendi, & sigillo majori privilegia munit. De prærogativa inungendi Regem, relatu dignissima scribit de Basilica Albensi, Thwroczius: Inter cætera verò dedit eidem Albensi Ecclesiæ quædam donaria sempiterna, memoriæ digna, duo scilicet rationalia, quarum utrunque habebat oram contextam septuaginta quatuor marcis auri purissimi, & lapidibus pretiosis, quæ Beatus Benedictus S. Romanæ Ecclesiæ Pontifex ad preces S. Stephani Regis tantæ auctoritatis privilegio insignivit, ut quicunque in celebrando Missam eis uteretur legitime, posset Regem inungere, coronare & gladio accingere. Personalis Præsentia. Est Regis Locumtenens, cujus Vicarius Personalis hodie, ut Tavernicus Tavernicalium, & Iudicibus præest. Ad cujus examen Causæ Thavernicæ ex parte aliqua non contenta, transmittun-

tur,

tur, *parte tertia, titulo decimo & undecimo.* Qui Tavernicus & Tavernicorum Regalium Magiſter, Camerarius, Camerariòrumque præfectus eſt. Aurifodinarum, Salinarumque & breviter earum Civitatum, pagorumque ac caſtrorum cauſas diſtinguit, quæcunque ad Cameram Regiam pertinent, ſicuti *Oberſter Vitztumb* in Styria. Idemque Iudex àppellationis à ſententiis Liberarum Civitatum, *de quo Partiale Ius Thavernicale, Ius Tripart. & Decret. Regum.* Officiarii qui gubernant in Curia Regis, ſunt: Cancellarius aulicus, qui Principis aulam ſequebatur, arbitrio Regis aſſumptus, qui cæteras literas minores, & potiſſimum mandata Regia, & in Cauſarum diſtinctione, datas munit, Decretiſque Regis ſubſcribit. Magnus Scheneſchalcus, Præfectus Palatii, aut Magiſter Curiæ, quemadmodum apud nos *ein Hoffmeiſter*, olim apud Reges Galliarum Major Domus dictus, Regis intimus Conſiliarius habetur, & ejuſdem Comitatum ſequi cogitur. Reliqui qui Iudicia tractant, ſunt vel Majoris auctoritatis vel Minoris. Majores ſunt Vice-gerentes ſuperiorum, ut, Vice-Palatinus, Vice-judex Curiæ, & cæteri, qui à Germanis dicuntur, *deſz Pfaltzgraffen vnnd*

Hoff-

Hoffrichters Statthalter. Minores qui ministeria magis Iudiciorum quam Magistratuum exercent, ut Mercator inquit, sunt. I. Protonotarius Palatini. II. Protonotarii Iudicis Personalis Præsentiæ. III. Protonotarii Iudicis Curiæ, qui est *der Obrist schreiber desz Hoffrichters*. Hi omnes nobili Stirpe eliguntur, art. 4. Vlad. min. Et ab Vngaris passim Magistri appellantur. Nam Magister, Iudex vel Protonotarius Iuridicus, Magistri, Protonotarii, seu Iudices Causarum, vicarii dignitatum Regni sunt, ac habent in laboris consortium adjunctos hos sequentes, Secretarium Archiep. Strigoniensis, qui est Director Causarum Regalium, sicuti apud Germanos *ein Camerprocurator*, Assessores & Notarios aliquot, hodie numero minores, quam olim, quos proximè enumerabo. Administratores sunt vel Sublimiores vel Minores. Sublimiores eos dico: qui publice aut privatim Principi exhibent in functione aliqua, sui usum. Publicè, ut ut sunt Vayda, & VVaywoda, Prorex in Transylvania, VValachia, & Moldavia, &c. inferior Gubernatore: Sclavis belli Ducem sonat, &c. Quod nomen primum Stephano Bathoreo (optimæ & beatæ memoriæ) Polonorum Rege invictissimo Principe Tran-

Transſylvaniæ creato deſiit, Banus, Præſes in Regnis adjunctis, qui alios vexillo præit, Ban. Videlicet Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Banus Machonienſis, Zewrinienſis & Sirmienſis &c. Porro quia Regnum ampliſſimum eſt, neque à minoribus judiciis confluere omnes in Curiam poſſunt, nec Curia tot querulantibus ſufficit; conſtituti ſunt per Provincias Iudicia Particularia eorum quibus prima inſtantia cauſæ deciduntur, quos Comitatus Latine, Hungari dicunt eorum idiomate Iſpan; Hinc forte quod Thwroczius de tertia parte exercitus Attilæ ſcribit, quæ contra Soldanum ab illo deſtinata, famoſiſſimo prælio in Campis Cathalaunicis intereſſe non potuit: Et horum quidem Capitaneos ipſorum lingua Hiſpanos vocatos extitiſſe: & exinde & Hiſpaniam nomen accepiſſe tradunt. Germani à Bannis *Sponſchafft, ut Lazius vult: vvelche die Hungern* Comitatus *vnd* ſedes, *vnd die Teutſchen von den* Banis *den Obriſten der ghericht Sponſchafft nennen*, &c. Sunt autem Comitatus, ut hoc quoque obiter explicem, Regni partes, quas Provincias aut Præfectuтas, aut Græca voce, qua plerique Latinorum uſi ſunt, Nomarchias

 dicere

dicere possis. Plinius & conventus & Iurisdictiones & conventus juridicos in distributione Ciliciæ; & Beticæ Hispaniæ appellare videtur. Cicero vocat Diœceses, quod nominis Episcopi in appellatione suarum jurisdictionum, quamquam nunc vulgo corrupte usurpant. Comitatus autem proprie de Imperatoria aula dicitur. Sed quia tempore Caroli Magni, regnantibus Berengariis, & Othonibus ad singulas Civitates regendas aliquis Comes mittebatur, cœpit territorium, quoniam illi Comes prę erat, Comitatus dici. Otto tamen Phrisingensis Comitatum à comminando Comitatum dici existimat. Earum vero partium Præfecti vocantur Hungaris Comites, quibus Iurisdictionis cura incumbit. Comites Hungariæ trium generum sunt. I. Comes Perpetuus, cum dignitate natus, qui solius Regis judicio nititur. II. Comes Liberi, ut Vrsini, Frangipani, Crupani &c. III. Comes Parochialis, Proprius regionis cujusque Præfectus, qui à Rege cum consilio Prælatorum & Baronum ex illis de eodem Comitatu eligitur. Comitis Parochialis vices tenens est Vicecomes, qui eligitur à Comite de eodem Comitatu, ex potioribus Nobilibus & Iudex Nobilium dicitur. Qui ambo indicare & promulgare

sedes

ſedes in ſuo Comitatu poſſunt. Et hæ Sedes Iudiciariæ dicuntur Germanis *Gerichts Stuel*, Quæ tempore Ferdinandi I. tenore art. 37. Poſon. M. D. L. in ſingulis Comitatibus &c. ſingulis quindecim diebus aut ad ſummum ſingulis menſibus &c. celebrabantur. Sunt autem Ranſano; Comitatus complurimi; numero LXXIII. Molnaro; LXXIV. Aliis excluſis Tranſylvanenſibus in Hungaria plures quinquaginta &c. ex quibus vix dimidium hodie obtinemus, Qui Conventus à Civitate nomen accepere, ut Comitatus Poſonienſis; à Civitate Poſonio, *& ſic reliqui &c.* Sed & præter Comitatus, in Tranſylvania ſunt Sedes Siculicæ ſeptem & duæ Filiales. Sedes Saxonicæ ſeptem & duæ Filiales. Inter Adminiſtratores ſubliniores computo nunc nominetenus tantum Præfectos & Præſides Militares, ut ſunt Generales partium Regni Superiorum & Inferiorum. Capitanei, Locum tenentes, Caſtellani Caſtrorum. Et olim Proviſor Budenſis. Privatim ut ſunt ii fere, qui ad Aulæ ſaltem uſum atque ſplendorem adhibentur: quos ſuo proprioque verbo dicimus Palatinos, Hungarico verbo Vduarnicales. Tales ſunt: Theſaurarius Regis, Ianitorum Regalium: Dapiferorum Regalium,

lium, Pincernarum Regalium, Agasonum Regalium, Cubiculariorum Magiſtri. Et ceteri Magiſtri officia tenentes & honores, *ut Stilus Decretorum habet.* Quæ omnia diſtinctius tradidiſſem, niſi me confudiſſent Decreta, in quibus perpetuus ordo & ſeries dignitatum ubique ſtricte non obſervatur, ex quibus ſine præjudicio Sublimiorum & Minorum prænominata officia ordinate memoriæ cauſa exhibere non dubitavi. Ideoque me à cujuſcunque injuria vindicabunt & excuſatum omnes habebunt. Minores ſunt in ſingulis locis Iuridicis, ut Primo in Regiis Liberiſque Civitatibus, & reliquis Oppidis & Vicis &c.

Non poſſum autem quin Coronidis loco hic apponam Sigiſmundi Imperatoris decretum, quod plurima eorum, quæ à nobis dicta ſunt, confirmat, & ſic habet.

SIGIS-

SIGISMVNDI IMPERATORIS.

DECRETVM SEXTVM,

A. D. M. CCCC. XXXV. *editum, & eius anni secundum: Alias Sigismundi Decretum majus vocatum.*

SIgismundus Divina favente clementia, Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariæ, Boemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæque Rex: universis Christi fidelibus; præsentibus pariter & futuris, præsentiam noticiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Inter cuncta, quæ pro subjectorũ salute conservanda nostræ meditationis perpendit acumen, ad ea præsertim cordis nostri curas, innata nobis inclinatione naturæ, solemus divertere, quibus humanæ temeritatis audacia effrenata, nonnunquam juncta potentia reprimantur, & juris integritas, abutentium prævaricatione, depravata, nunc, apertiori priorum consuetudinum declaratione, nunc novarum utili constitutione legũ, principâtis providentia reformetur: Proinde ad universorum, tam præsentium, quam futurorum noticiam, harum serie volumus pervenire: Quod cum nos pro

Imperialis fastigii honore finaliter adipiscendo, post electionem nostram, in Regem Romanorum factam, & primæ Coronæ RegiæRomanæ Aquisgrani susceptionem, novissime Sacri Romani Imperii principibus electoribus nobis consulentibus, in partes Lombardiæ descendendo, in Civitate Mediolani, secundam Coronam Regiam Romani Imperii recepissemus: & demum in Vrbem Romanam profecti fuissemus, infulasque nostras Imperiales de manibus Sanctissimi Domini nostri, Domini Eugenii Papæ quarti cum debita solennitate suscepissemus, & deinde nonnullis partibus Italiæ, & Germaniæ perlustratis, rebusque tam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quam nostris Imperialibus, nobis interim occurrentibus votive dispositis exonerati, tandem in peculiare Regnum nostrum Hungariæ, medio tempore, præsentia nostra Regali viduatum, injuriisque & damnificationibus potentialibus, in suo statu, & suæ quietis & pacis amœnitate, disturbatum regressi, in hac civitate nostra Posoniensi, primam residentiam fecissemus personalem, & una cum fidelibus nostris, Prælatis videlicet & Baronibus ejusdẽ Regni nostri, ad nostram Majestatem confluentibus, certam conventionem Nobilium, de singulis ipsius Regni Comitatibus

convo-

convocari fecissemus. Tandem ipsorum congregatione adunata, de eorundem Prælatorum, & Baronum nostrorum nec non Nobilium Regni nostri, totum corpus ejusdem Regni, cum plena facultate absentium, repræsentantium, unanimi voto, consilio, deliberatione & consensu, pro debita ordinata, & conformi justiciæ administratione, incolis ejusdem Regni æqualiter omnibus de cętero exhibenda, nec non quieto & tranquillo statu eorundem Regnicolarum, infra scriptas constitutiones, statuta & leges in perpetuum duraturas, & inviolabiliter observandas, disposuimus, decrevimus, & duximus ordinandas, declarandas & firmandas.

ART. I.

De Iudicibus ordinariis Regni & eorum juramento.

PRimo quidem, ut omnis scrupulosa suspicio, quę contra judices & justiciarios ipsius Regni nostri, de favore vel odio, aut quomodo concipi posset, de cordibus quorũlibet penitus removeatur & tollatur: Statuimus, ut semper successivis temporibus, omnes & singuli judices & justiciarii dictiRegni nostri, tam Ecclesiastici, quam sæculares, qui videlicet inPalatinũ, Iudicem curiæ Regiæ, Magistrum Thavernicorum Regalium, Cancella-

rium, aut Vicecancellarium Regalem, in Protonotarium, & vicegerentem judicum prætactorum, ac etiam assessores eorundem in judicio, in Vaywodam partium Transylvaniensium, Comitem Siculorum, Banum Regnorum, Dalmatiæ & Croatiæ, Banum Sclavoniæ, Banum Machovien. ac in Comites quorumlibet Comitatuum, & Iudices Nobilium, eligentur & assumentur, eorumque in judicatu vicegerentes substituti, & assessores, tempore receptionis eorundẽ, ad hujusmodi honores & officia administrationis judicii & justiciæ, in manibus nostris Regiis, vel deputatorum à nobis, juramentum præstare teneantur, per formam verborum infra scriptorum, videlicet sic.

Ego juro per Deum, & per gloriosamDei genitricem virginem Mariam, & per omnes Sanctos, & electos Dei, quod omnibus & singulis coram me causantibus, absque cujusvis personæ, divitis scilicet & pauperis acceptione, omnibusque, prece, præmio, favore, amore & odio, postpositis & remotis, prout scilicet secundum Deum, & ejus justiciam faciendum cognovero, justum & verum judicium & justiciam faciam meo pro posse. Sic me Deus adjuvet & Beata virgo Maria, & hoc signum vivificæ crucis Domini nostri Iesu Christi.

ART. II.

De Iudicum Nobilium electione.

IVdices Nobilium autem, in quolibet Comitatu, eligantur & præficiantur ex Nobilibus potioribus, & bene possessionatis illius Comitatus, communiter omnibus Nobilibus ejusdem Comitatus concorditer visi, & merito acceptandi, & ipsi electi teneantur non refutare, sed suscipere officium judicatus, sub pœna viginti quinq; Marcarum, per ipsam communitatem, si secus fecerint, irremissibiliter exigendarum, exceptis tamen, officiolatus & honores Regios, Reginales, Prælatorum, Baronum, vel aliorum tenentibus, vel stipendia ratione exercituationis habentibus, vel aliis rationabilibus ex causis in ipso Comitatu continuam residentiam non facientibus: & hujusmodi officium ad minus, per annum exercere, habendo sigillum cognoscibile, ad dandum cum sigillis aliorum Iudicum Nobilium, & Comitis, vel Vicecomitis literas fide dignas: Si vero elapso anno voluerint, habeant recusandi facultatem. Quod si resignaverint, aut per communitatem Nobilium comprovincialiter remoti, vel mutati fuerint, ante annum quintum futurum ad idem officium assumendum inuiti non coarctentur.

ART. III.

Birsagia inter Comites, & Iudices Nobilium dividantur.

DE birsagiis autem sedium Comitum parochialium, ad portionem judiciariam cedentibus Comites Parochiales & Iudices nobilium æquam inter se divisionem facere teneantur, in duas partes.

ART. IV.

Occupata bona spoliatis, quomodo per Comites restituantur.

VErum quia frequenti querela Regnicolarum nostrorum, imo quadam palpabili experientia teste, nostra percipit celsitudo, per nonnullas novas possessionum occupationes, & potentiariorum actuum illationes, eosdem Regnicolas, inferiores videlicet à potentioribus, multipliciter opprimi & gravari, ideo volentes insolétiis, & novis attétationibus, per remedia opportuna, viam præcludere: Statuimus & ordinavimus, quod quãdocunque & ubicunque fuerint factę novæ, possessionum, aut terrarum, occupationes, potentialiter vadiationes, seu rerum & bonorum ablationes, succisiones sylvarum, interemptiones, verberationes, & vulnerationes hominum, domo-

domorum, & possessionũ invasiones & deprædationes, ac alii similes novi actus potentiarii majores: extunc lęsi, damnum & injuriam passi, impetratis literis nostris Regalibus querimonialibus & præceptoriis, Comites parochiales, & Iudiçes nobilium Comitatus illius, in quo facta hujusmodi patrata extiterint, accedant, & inquirant. Qui quidem Comites, Iudiçes nobilium, cum testimonio Capituli, vel Conventus illi Comitatui deservire soliti, à vicinis & commetaneis, ac Nobilibus comprovincialibus, sub çertis pœnis, in hujusmodi literis nostris Regalibus declarandis, in sedem eorum judiciariam, per modum proclamatæ congregationis, partibus quoq; litem habentibus convocatis, ad fidem eorum Deo debitã, fidelitatemque nobis, & Sacræ Coronæ nostræ observandam, tactis Sanctorum reliquiis, præstitam, super hujusmodi novis occupationibus possessionariis, & etiam actibus potentiariis, plenam & indilatam requirant veritatem: qua rescita & inventa, possessiones occupatas, authoritate eis in hac parte attributa mediante, restituant eisdem, à quibus fuerant indebite occupatæ, ipsosque in dominium earundem protegant & conservent: alia vero bona, & vadia potentialiter ablata, absque defectu, reddant & restituant.

ART.

ART. V.

Inquisitione sufficienti habita, & satisfactione impensa, factum potentiæ ad Regiam curiam decidendum, transmittatur.

SUper facto autem potentiæ, in talibus commissæ, partes utrasque discussionem & sententiam finalem recepturas, ad certum terminum mediantibus eorũ, & dicti Capituli, vel Conventus literis, seriem totius facti exprimentibus, ac propria & possessionum, factum hujusmodi attestantium nomina, continentium, in personalem nostram præsentiam Regiam, aut Palatinalem, seu Iudicis curiæ nostræ transmittant, ubi absq; ulterioris termini, & litigionarii processus observatione, & contumacia, etiam partis non venientis non obstante, nos, vel Iudex alius, ad quẽ causa transmissa fuerit, juramentum capitis decernendo, tandem finalẽ sententiam proferemus, & proferre tenebimur. Partes tamen litigantes, quandocunq; voluerint, absque requisitione judicis, & onere solutionis Birsagiorum, liberam concordãdi habeant facultatem, quemadmodum antiqua & laudabilis Regni nostri cõsuetudo hujusmodi concordiam, in quibuscunq; factis potentialibus, & aliis, libere fiendã dictat & consentit. Ne autem Barones,

tones, judices, & alii honores Regios, & officiolatus à Regia Majestate tenentes, seu Comites parochiales, honori & judicatui ipsorum subjectos, quibus ipsi etiam ab aliis justitiam tenerentur ministrare, per se ipsos, quavis cupiditate, vel propria voluntate allecti, aliqua occasione indebite gravent, opprimant, seu damnificent, aut per eorum vicegerentes talia fieri permittant: Statuimus, ut à talibus læsi, damnificati & injuriati, impetratis literis nostris, ipsorum querelam continentibus, præceptoriis, quæ, modo prætacto coram Iudice nobiliũ, ac testimonio Capituli, vel Conventus ejusdem Comitatus, per modum similis proclamatæ congregationis, veritatem inquiri facere, & sua damna ac gravamina comprobare valeant, & per ipsos Iudices nobilium, una cum Nobilibus comprovincialibus Comitatus ejusdem, judicium & justiciam, ex parte hujusmodi officialium, impendatur, aut nostræ Majestati, seu judicibus & justiciariis Curiæ nostræ prænotatis, modo præscripto, per literas Iudicis nobilium, seu Capituli, vel Conventus, seriem totius facti continentem, causa discutienda, ad certum terminũ transportetur, ut hujusmodi causa, modo præmisso, sine dilatione terminetur. Si vero iidem Barones, seu officiales Regales,

aut Comites debitum moderamen sui officii in tantum excesserint, ut ex parte totius communitatis officiolatui suo subjectæ, generalis vociferatio querulosa contra eos emerserit: extunc nos ad fidelem & literatoriam assertionem Iudicum nobilium, comprovincialiumque nobilium, & Capituli, aut Conventus comprovincialis, personaliter, vel per idoneũ hominem ad hæc specialiter deputatum, volumus & tenebimur, ex parte talium, condignam justiciam ministrare.

ART. VI.

Castellani damna aliis inferentes cui pœnæ subjaceant.

STatuimus itaque, & ad reprimendum potentiariorum actuum effrenatum abusum, præsenti ordinatione sancimus, quod si qui Castellanorum aut cæterorum officialium nostrorum, aut Reginalium, nec non Prælatorum, & Baronum, ac Nobilium & Regnicolarum nostrorũ, de Castris & officiolatibus ipsorum, & cum potentiis dominorum suorum, à quibus hujusmodi Castra, possessiones, & officiolatus, pro honore obtinent, aliquos actus potentiarios, damnificationes, injurias, & quæcunque mala perpetraverint & commiserint, talium domini, qui eisdem hujusmodi Castra, officiolatus & ho-

& honores contulerunt, ſuper omnibus damnis & nocumentis, per ſe, & de bonis ſuis, plenam ſatisfactionem exhibere ſint obligati, & teneantur effective, ſe ipſoſque in hujuſmodi actibus potentiariis, per ſuos caſtellanos, ſeu officiales, perpetratis, inſcios, innocentes & immunes fore debito juramento purgare; ſuum autem damnum in hujuſmodi ſatisfactione perceptum, ſi voluerint à ſuis familiaribus, caſtellanis, ſeu officialibus, qui ipſi ſatisfactioni cauſam dederunt, per ablationes rerum & bonorum ipſorum, ac poſſeſſionum occupationes, ſeu rebus & bonis, ac poſſeſſionibus minus ſufficientibus, perſonarum eorum detentionem, & in captivitatem redactionem, & conſervationem, uſque ad recuperationem damnorum ſuorum prædictorum, fiendam, non obſtante Nobilitatis, libertatis, cõditionis, & alterius cujuſlibet dignitatis privilegio, liberam habeant facultatem: Quantitatem tamẽ ſui damni, in ſolutione hujuſmodi percepti, non excedendo.

ART. VII.

Birſagia moderata, per quos, & quando exigenda.

VT autem officiales & Comites noſtri prætacti, Nobiles & incolas Regni noſtri, ſub ſuo honore & judicatu conſtitutos,

titutos, indebitis birſagiorum exactioni-bus gravandi occaſionem non habeant, antiquam in hac parte conſuetudinē Regni noſtri imitando declaravimus, quod nullus judicum ſæcularium, judicia, ſeu Birſagia extorquere poſſit, niſi tempore congregationis Palatinalis, vel alterius, per Regiam Majeſtatem, ad congregationes generales celebrādas, deputati, in ſingulis Comitatibus celebrandas, ſecundum conſuetudinem ab antiquo obſervatā exceptis caſibus infra ſcriptis, quibus etiam extra tempus dictarum congregationum generalium, birſagia debite exigi poſſint.

Primus Caſus.

Primo videlicet, propter violentam retentionem, aut damnificationem Iobagionum, petita licentia, juſto terragio depoſito; aliiſque ſuis debitis perſolutis, ad alterius poſſeſſionem ſe transferre volentium: quo caſu Comes parochialis, cū ſuis Iudicibus nobilium, abſque quibus nullum in talibus proceſſum facere debet, ab his, qui in hoc caſu culpabiles legitime inventi fuerint, judicium, ſeu Birſagium trium marcarum, toties, quoties, & quandocunq; culpabiles inventi fuerint, ſine expectatione extorquere poteſt jobagionē detentum, ſeu damnificatum, cum omnibus bonis ſuis, damnis etiam recuperatis, liberum abire permitti faciendo.

Secundus

Secundus Casus.

Item, si quis jobagionem alterius, non petita, nec obtenta, vel petita, sed nõ obtenta licentia, ante dies quindecim, hujusmodi petitæ licentiæ, potentialiter abduxerit, talis pro abductione violenta jobagionis hujusmodi, birsagia, trium marcarum solvet, & eundem jobagionem retentum, seu damnificatum, cum aliis tribus marcis birsagialibus, per Comitem parochialem, coram Iudice Nobilium, restituere compellatur. Si verò jobagio aliquis non obtenta licentia, se furtive ad possessionem alterius receperit, & idem ad cujus possessionem accesserit, requisitus, reddere recusaverit: extunc ad restitutionem ipsius jobagionis fugitivi, Comes parochialis talem, cum Birsagio trium marcarum, compellere debeat & teneatur.

Tertius Casus.

Item violator sedis judiciariæ, Birsagium viginti quinque marcarum persolvat.

Quartus Casus.

Item quicunque furem, vel latronem, aut aliquem publicum malefactorem captivaverit, & eundem de captivitate sua voluntarie abire permiserit, solvere debet Comiti parochiali homagium malefactoris prænotati.

Quintus Casus.

Item, ubicunque lucrum Cameræ debito tempore persolutum non fuerit, Comes parochialis, cum judice nobilium, de qualibet villa non persolvente, post emanationem literarum Birsagialium, per Iudices Nobilium, contra tales dari solitarum, exigere debeat ipsum lucrum Cameræ, cum Birsagio trium marcarum.

Sextus Casus.

Consimiliter, quia certa scientia meminimus prædecessorum literis, & per nostram Majestatem frequenter literatoriè, ex laudabili consuetudine Regni nostri, præcipi solitum esse & usitatum, decimas Ecclesiarum, de singulis villis persolvere, post interdictum Ecclesiasticum, certo consueto tempore observari commissum, recusantibus, per Comites parochiales, aut vices suas gerentes exigi debere, cum singulis tribus marcis: Ideo præsentis ordinationis & statuti vigore, eandem consuetudinem ratam habendam, innovandam, imitandam committimus, quod post interdictum Ecclesiasticum, in singulis Diœcesibus & locis; temporibus hucusque solitis, impositum, de singulis villis, quæ per unius mensis spacium hujusmodi interdictum Ecclesiasticum animo indurato tolerantes eas-

dem

dem decimas persolvere recusaverint, seu non curaverint, mox elapso ipsius mensis spacio, Comites, vel Vicecomites parochiales; per decimatores requisiti, decimas easdem, cũ singulis tribus marcis Birsagialibus pro se indilatè exigendis, eis, quibus solvi debent, absq; dilatione & defectu, persolvi facere teneantur.

Septimus Casus.

ITEM quandocunque Nobiles alicujus Comitatus, vigore literarum Regalium, per modum proclamatæ congregationis, sub pœna trium marcarum, in eisdem literis Regalibus expressa, convocati fuerint, quicunque ad illam congregationem non venerint, nisi ægritudine, senio, viduitate, orphanitate, paupertatis impotentia remorati, vel eorum arduis negociis rationabiliter se excusare poterint. Comes Parochialis, & Iudex Nobilium, prædictas tres marcas, in dictis literis nostris expressas, indilatè exigere possint.

Casus octavus.

ITEM Palatinus, & Iudex curiæ, ac cæteri Iudices ordinarii, Ecclesiastici, & Sæculares, universa judicia, in causis coram eis vertẽtibus aggregata, statim ipsis causis finitis, ac per sententiàm finalem cõclusis, primò parti adversæ, de sua portione, satisfactionẽ impẽdere teneantur,

& ad partem suam judiciariam cedentē, exigendi liberam habeant facultatem.

ART. VIII.

Capituli & Conventus, pro testimonio, quales personæ emitti debeant.

ITem statuimus, quod ad faciendas Statutiones, Inquisitiones, ac Evocationes, & alios quoscunque processus, cum hominibus & testimoniis Capitularibus, & Conventualibus fieri solitis, quę communiter fidedignates vocantur, de Capitulis, & Conventibus personæ, seu homines simplices non mittantur: Sed de ipsis Capitulis Canonici, ad minus autem personæ in beneficiis vel officiis constitutæ: De Conventibus vero, Monachi Conventuales, Sacerdotes destinētur, qui quidem pro hujusmodi testimoniis Capitularibus, & Conventualibus deputati, priusquā ad faciendas aliquas possessionarias Statutiones, metarum reambulationes, revisiones possessionarias, & communes inquisitiones, transmittantur & procedant, jurare teneantur, ut in eisdem factis fideliter & recte procedant, & veram relationem, seu fassionem faciant. Homines autē Regii in præmissis procedentes, tempore reversionis eorū, ac fassionis seu relationis, corā ipsis Capitulis, & Conventibus fiendis, similiter juramen-

mentū præstare teneantur. Quicunq; autem contra suum juramentū, falsum processum, vel falsam relationē fecisse, repertus fuerit, talis, tanquā falsarius & perjurus, pœna amissionis beneficii sui, si quod habuerit, puniatur, & insuper, sive beneficatus, sive nō beneficatus existat, perpetuis carceribus mancipetur: Homo verò Regius, si in præmissis possessionariis statutionibus, metarum reambulationibus, & revisionibus sinistre, vel false processerit, in facto perjurii pœna capitis, & amissionis omnium bonorum suorum, convincatur. Quicunque vero Nobilis, per alium, seu alios quoscunque, mediantibus nostris Regiis, vel aliis consuetis literis, nomen suum continentibus pro homine Regio, cum testimonio alicujus Capituli, vel Conventus, requisitus, onus hujusmodi processus assumere & exequi recusaverit, in birsagio consueto trium marcarum, per Comitem parochialem indilate exigendarum, convincatur eo facto.

ART. IX.

STatutiones autem possessionariæ, metarum reambulationes & revisiones, aliter fieri non debeant, nisi vicinis & cometaneis hujusmodi possessionum inibi legitime convocatis: Et ut fraus & do-

lus in talibus melius evitetur, nomina ſingulorum vicinorum & cometaneorum, tempore præmiſſorum proceſſuũ, illuc principaliter convenientium, in literis Capitularibus & Conventualibus ſuperinde emanandis, ſeriatim conſcribantur.

ART. X.

Literarum taxa, & ſalarium f. d: dignitatum.

ET ut materia diſcordiæ, ſuper facto redemptionis literarum Capitulariũ & Conventualium, nec non ſuper ſatisfactione viarum ſeu laborum, teſtimoniis Capitularibus, & Conventualibus fienda, hactenus ſæpius ſuboriri conſueta, de cætero ceſſet, & ſuccidatur præſenti ordinatione, antiquam tamen & laudabilem conſuetudinem imitando: Statuimus, ut omnibus in locis, tam Capitularibus, quam Conventualibus, pro qualibet litera Evocatoria per ſe, videlicet, Evocatoria prima, ſecunda & tertia, & in Capitulo, aut Conventu, ſimul cum eorum Notario & ſcriptore, pro redemptione literæ recipiantur, ſeu ſolvantur ſinguli denarii viginti quatuor majoris monetæ. Item pro qualibet litera Proclamatoria, denarii centum. Item pro qualibet litera Procuratoria, denarii viginti quatuor. Item pro qualibet litera Pro-

Prohibitoria, Proteſtatoria, & aliis ſimilibus, ſi patenter emanatur, denarii viginti quatuor, ſi verò clausè, denarii duodecim. Item pro qualibet litera Faſſionali emanata privilegialiter, denarii centum, patenter verò, denarii viginti quatuor, clausè autem, denarii duodecim. Item pro qualibet litera Inquiſitoria, ſive patenti, ſive clauſa, denarii viginti quatuor. Item de paribus antiquarum literarum in conſervatorio requiſitarum, cuſtodi ſeu requiſitori per ſe, denarii centum, & pro redemptione literæ requiſitæ, ſi non habuerit multum de ſcriptura, & patenter confecta fuerit, denarii viginti quatuor: Si verò labor ſcribendi fuerit magnus, & litera privilegialiter confecta, denarii centum. Item de ſimplicibus tranſcriptis, ſeu tranſumptionalibus literis patenter emanatis, ubi labor ſcribendi magnus non fuerit, denarii viginti quatuor, ubi autem litera fuerit prolixa, aut privilegialiter emanata, denarii centum. Item de litera Statutoria, in qua contradictio facta fuerit, denarii viginti quatuor. De literis verò ſtatutionalibus perpetuis, in quibus contradictio facta non fuerit, recipiatur redemptio literarum, ſecundum quantitatem poſſeſſionis, & numerum ſeſſionis modo ſubſcripto: Videlicet, de ſeſſione una, dua-

bus, aut tribus, aut quatuor, in toto denarii centum. Vbi autem fuerint ultra quatuor sessiones, usque ad decem, pro qualibet sessione, denarii viginti quatuor. Vbi verò fuerint ultra decem, usque ad viginti, de qualibet sessione, denarii duodecim. Vbi verò fuerint ultra viginti, usque ad centum, usque quaque, de qualibet sessione, denarii octo. Item de literis Reambulatoriis metalibus, in quibus contradictio & evocatio facta non fuerit, denarii viginti quatuor. In reambulationibus autem metalibus, in quibus simplex consignatio, vel cum hominibus Regiis, decuria Regia, transmissis, similis consignatio, vel finalis metarum erectio, cum juramento super terram, informa judiciaria, aut partibus concordantibus, facta fuerit, pro redemptione literæ, denarii quadringenti. Vbi autem partibus in hujusmodi reambulationibus & demonstrationibus metalibus discordantibus, causa ad curiam Regiam deducta fuerit, tunc pro redemptione literarum talium denarii ducenti. Itẽ de cõmuni inquisitione, ordine judiciario, commissa, denarii centum. Item de occupationibus possessionum, hominũ in sententia capitali convictorum, & rerum ablationibus, judiciaria cõmissione mediãte, fiendis, de rebus ablatis, ex antiqua

con-

consuetudine, Capitulum habebit decimam partem, pro redemptione autem literę, denarii centum. Item de possessionariis divisionalibus, de singulis possessionibus divisis, singuli denarii centū. Item de expeditoriis juramentalibus, denarii viginti quatuor. Item de expeditoriis juramentalibus continentibus nomina conjuratorum, denarii centum. Item de solutionibus pecunialibus, coram Capitulis, vel Conventibus, vel eorum testimoniis fieri solitis, Capitulum, seu Conventus decimam & nonam partem exigere non possint, nisi quando propter discordiam partium, in eorum Sacristiis, seu conservatorio hujusmodi pecuniæ depositæ fuerint, de talibus nempe de jure, decimam & nonam partes recipere possunt, ad illius tamen partis rationem, quæ causam dederit, pecuniæ hujusmodi in conservatorio reponendæ. Personis autem testimonialibus Capitulorum & Conventuum, pro singulis diebus, quibus in itinere fide dignitatis processerint, solvantur singuli duodecim denarii majores, sive in propriis equis, sive in equis causantium ambulent, & ducantur: ita tamen, quod in victualibus & expensis causantium, & ipsos ad facta sua conducentium, simul cum equis, & familia eorum, de domo, iterum in do-

mum, ſemper duci debeant, & reduci.

ART. XI.

Taxa literarum minoris Cancellariæ.

PRæterea, ex quo in judiciis, in curia noſtra Regia fieri conſuetis, coram judicibus ordinariis ejuſdem curiæ, ac eorum notariis ſupradictis, literę & redemptiones earum neceſſario occurrunt. Ideò ad tollendam cujuslibet altercationis occaſionem, quæ inter ipſos Notarios & cauſantes emergi poſſet, antiquam conſuetudinem redéptionis literarum earundem, modo ſubſcripto, duximus ſimiliter declarandum: Videlicet, quod in ipſa curia noſtra, Notariis ipſius curiæ noſtræ judiciariæ, de una litera Prorogatoria communi, ſolvantur denarii duodecim. De litera judiciali ſeu Birſagiali, ſimiliter denarii duodecim. De ſimplici litera Inquiſitoria, ſimiliter denarii duodecim. De ſecunda Evocatoria, denarii viginti quatuor. De tertia Evocatoria, denarii centum. De Proclamâtoria, denarii centum. De litera jurâmentali, tertio, vel ſexto ſe, alicui adjudicata, denarii viginti quatuor. De eo, qui jurabit, duodecimo, vel vigeſimo quinto, aut quinquageſimo ſe, denarii centum. De communi inquiſitione, denarii centum. De litera duellarii, denarii ducenti.

De juramentali super caput, denarii ducenti. De prima instrumentorum exhibitione, denarii viginti quatuor. De secũdaria & tertiaria instrumentorũ exhibitione, cum gravamine assumpto, similiter denarii viginti quatuor. De Prorogatoria respondentis cum tribus marcis, denarii viginti quatuor. De litera Prorogatoria patenti, denarii viginti quatuor. De litera Fassionali communi, denarii viginti quatuor. De aliis literis generalibus, videlicet Prohibitoriis, & similibus, denarii viginti quatuor. De Prohibitoriis facie ad faciem, denarii centum. De litera Sententionali facti potentialis, conservatori sigilli, floreni decem, per centum denarios: Scriptori autem, denarii ducenti. De literis statutoriis, & reambulatoriis simplicibus, denarii viginti quatuor. De literis autem Adjudicatoriis reobtentionis possessionum, seu aliarum rerum, juxta quantitatem possessionis, seu rei obtentæ habita concordia, inter causantes, & Protonotarium, fiet solutio.

ART. XII.

Taxa literarum majoris Cancellariæ.

IN Cancellaria autem nostra Regia, quoad redemptiones literarum juridicarum & consuetarum, servetur antiqua consuetudo ejusdem Cancellariæ. Similiter

liter de donationibus & confirmatoriis, pensata quantitate rei donatæ vel confirmatæ, erit concordandum cum Cancellario, modo hactenus observato. Quia vero in omnibus præmissis redéptionibus literarũ, & aliis quibuscunq; solutionibus ac Birsagiorum exactionibus, de numero & quantitate denariorum pro tempore currentium, sæpenumero mentio facta est, gratia removendi dubii, præsentium serie, declaramus, ut denarii tales intelligantur, quorum singuli centum, unum florenum auri valeant, & repræsentent, & si denarios minores pro aliquo tempore cursum habere contigerit, ad eandem rationem, cum ampliori & æquivalenti numero, suppleantur.

ART. XIII.

Arestatio in propriis terris & officiolatibus fieri nequit, sub pœna marcarũ sex.

ITem de arestationibus mercatorum, & aliorum hincinde proficiscentium, quę pro debitis & aliis excessibus propriis, aut alienis, in possessionibus, seu locis communibus, tam per Ecclesiasticos, quã per Sæculares, Nobiles & ignobiles, satis frequenter fieri solent, in quibus etiam hactenus nonnulla impedimenta & damna, ac injurię, extra consuetudinem hujusmodi arestationis, cõmissa

missa sunt & patrata, eandem antiquam Regni nostri consuetudinem approbandam declaramus. Quod nullus arestare volens, in suis propriis, aut fratrum suorum condivisionalium possessionibus, terris, aut officiolatibus, pro quacunque causa, arestationem aliquam facere possit: alioquin pro indebito aresto suo, in pœna trium marcarum convincatur, & arestum hujusmodi indebite factum, cum altero birsagio trium marcarum, relaxare & liberum permittere, per Comitem parochialem compellatur. Cum autem in loco cōmuni quispiam arestationem facere voluerit, judex ipsius loci cōmunis eandem arestationem, coram se, sic, & non aliter fieri patiatur & acceptet, si videlicet arestās, prius se à domino, vel villico possessionis, in qua arestatus residentiam habuit, justitiam postulasse, & hujusmodi justitiam, aut sibi temerarie denegatam, aut finaliter exhibitam fore, sed satisfactionem debitam non impensam extitisse, literis Comitis, vel Vicecomitis parochialis, aut Iudicis Nobilium, vel aliis credibilibus, poterit comprobare. Dum autem hæc præmissa, modo prætacto, evidenter poterit comprobare: extunc dominus vel Iudex, aut villicus ipsius loci seu possessionis communis, arestum retinere, & inter partes,
more

more in talibus consueto, judicium & justiciam faciendo, super debitis, aut aliis excessibus, vel rebus coram eo rationabiliter obtentis, debitæ satisfactionis cõplementum, de rebus & bonis judicialiter obtentis condemnati, aut rebus & bonis ipsius minus sufficientibus, per detentionem personalem, impendere teneatur.

ART. XIV.

Aresti, Iudicis faventis parti pœna.

IN casu etiam, quo ipse Iudex aresti, pro favore, aut timore cujuscunque vel ex qualibet alia causa, rationem non habente, arestum coram eo legitime factum, seu fiendum, retinere, judiciumq; & justiciam, ac satisfactionis complementum, modo superius descripto exhibere recusaverit: extunc ipse arestatori, cujus ipse adversarium libere abire permiserit, pro damno, quod per hujusmodi arestum requirere, & immediate obtinere poterat, & pro toto interesse, teneatur & existat obligatus, nisi arestandus, vel arestatus, tantam potentiam & vim habuerit, propter quam dominus, seu Iudex loci communis eisdem resistere, & eos retinere non valebit, aut alia potentia superveniente arestatus, contra voluntatem judicis, arestum violenter

abdu-

abduxerit: Quo casu eveniente, ad sui excusationem, super eo, quanto citius poterit, suis vicinis & cometaneis publice protestetur.

ART. XV.

Arestantium Civium pœna in propriis terris.

VOlumus autem, quod in nostris & in Reginalibus liberis Civitatibus, oppidis & villis, & possessionibus, mediantibus eorum Iudicibus, officialibus, & præsidentibus quibuscunque, per Cives, mercatores, hospites, & incolas eorundem, pro suis debitis, rebus & acquisitionibus quibuscunque, arestationes hujusmodi, modo suprascripto, & sub pœnis antedictis, per Magistrum Thavernicorum, aut alios eorum superiores, indilate exigendis, fieri nullatenus debeant, neque possint, sed in locis communibus, & coram judice communi, cum necesse fuerit, fiant arestationes per eosdem, modo superius declarato.

ART. XVI.

Aresti Iudicis salarium.

IVdex autem communes arestationes hujusmodi, coram eo debite & legitime factas, discernens & judicans, pro suo labore & honore, si fuerit judex per domi-

dominum possessionis constitutus, aut dominus ipsemet, quadraginta denarios: Si verò villicus, duodecim denarios, ab homine judicialiter condemnato, pro se exigendi habet facultatem.

ART. XVII.

De defectu seminis, donationibus, & sequestro.

POrro æquitatem, & juris observantiam, quam inter Regnicolas nostros vigere peroptamus, à nostra Regia Majestate exordium habere demõstrari volentes, præsenti decreto stabilimus, quod in quocunque Comitatu, aliqua jura, per defectum seminis quorumcunque decedentium devoluta fuerint, & de hujusmodi possessionibus manifeste non constat, an ad jus Regium pertineant, vel aliquos fratres generationales, seu hæredes fæminei sexus concernant, sed inter ista duo, videlicet, jus Regium, & jus aliorum scilicet generationalium, vel fæmineum dubium intervenerit: extunc homo communis nobilis, & idoneus, in quolibet Comitatu, ad idem per Comitem Parochialem cum Iudice nobilium, & aliis Nobilibus comprovincialibus, in unum locum congregatis, non tamen ex Baronibus, nec de potentioribus, sed de mediocribus Nobilibus, electus hujusmodi

modi jura devoluta & dubiosa, & etiam alia similiā, si quæ contigerint, tam diu conservet & manu teneat, absque damnificatione qualibet: excepto solum, quod de proventibus consuetis hujusmodi possessionum, donec in manibus suis remanebunt, expensas moderatas capere & facere possit: De quibus tandem rationem reddere debeat & teneatur, quousque hujusmodi revolutio jurium, sine hæredibus decedentium, in sede judiciaria curiæ nostræ Regiæ, publicata fuerit. Ipsaque publicatione facta, quicunque easdem possessiones, & jura sibi pertinere allegaverit, in certis octavis subsequentibus, quanto citius rationabiliter poterit, jura sua producendo, easdem ad se pertinere comprobet. Quod si facere poterit, Iudices curię Regię Majestatis eundem statui & introduci mandent & faciant, cum effectu. Si vero in cōprobatione defecerint, juri Regio relinquantur. Et si qui ulterius ad easdem jus habere speraverint, eas de manibus Regiis requirant legitime.

ART. XVIII.

De uxoribus & filiabus, in domibus Nobiliū decedentium, remanentibus.

VBi autem uxores, vel filiæ hujusmodi hominum, absq; hæredibus mas-

culinis, decedentium, in talibus possessionibus & juribus remanserint: extunc possessiones eædem, & jura possessionaria, à manibus eorum occupari & auferri non debeant, priusquam de eorum juribus, videlicet, an hæreditarie & perpetuo ad jus fœmineum pertineat, an ne veritas inquiratur: Quod si repertum fuerit eadem jura juri fœmineo non competere: extunc dictis uxoribus talium decedentium, antequam de dominio dictarum possessionum excludantur, per Regiam Majestatem, vel alios, ad quos repertæ fuerint esse devolutæ, de eorum dotibus & juribus paraphernalibus plena satisfactio impendatur.

ART. XIX.

De quarta filiarum & domo paterna.

FIliabus vero, usque tempus emaritationis earum, domus paterna, cum quarta parte possessionum paternarum, pro quarta filiali, secundum consuetudinem Regni nostri, sequestretur, & possidenda relinquatur.

ART. XX.

De filiabus Nobilium, homini rustico nubentibus.

POstquam vero maritatæ & traductæ fuerint, de earum jure quartalitio, pecuniarum solutione mediante, satisfiat.

Vbi

Vbi autem aliqua ex ipsis filiabus homini impossessionato maritata fuerit, dictante eadem Regni nostri consuetudine, in perpetuo jure & dominio, hujusmodi quartæ filialis possessionariæ, succedere debet, & remanere. Ita tamen, quod si ipsa de voluntate & consensu fratrum seu consanguineorum suorum, in quos post ipsius matrimonium, hujusmodi jura, seu quartalitia reverti & redundari deberēt, homini, ut præfertur impossessionato nupserit: alioquin sive de domo paternali, sive de curiis & servitiis bonorum, seu majorū nobilium, dictis suis fratribus seu consanguineis, aut parentibus irrequisitis & nolentibus, seu non cōsentientibus, id fecerit, jus suum quartalitium, nō cum possessione, sed cum satisfactione pecuniaria, requirendi habebit facultatem.

ART XXI.

Ecclesiarum res & bona, sæculares non occupent.

ADjicientes statutis superioribus statuimus, quod nullus Com. Banus, Waywoda, seu alius officialis Regius, cujuscunque cōditionis, denominationis & dignitatis existat, Ecclesias Episcopales Archiepiscopales, Abbatiales, Præpositales, & alias quascunque Regio jure patronatus disponendas, earundemq; tenutas, perti-

nentias, decimas, & possessiones, intra terminos & limites sui honoris, seu officiolatus, absque speciali mandato Regio, occupare; aut se de eisdem partialiter, vel totaliter ingerere præsumat.

ART. XXII.

Tributorum superflua exactio vetatur.

VErum quia ex immoderata & superflua exactione tributorum, per diuturni temporis abusum & inadvertentiam, ac negligentiam dispositionis superinde necessariæ, multa gravamina, damna & incommoda Regnicolis, & extraneis hominibus, cum eorum rebus & mercibus, in Regno nostro hinc inde proficiscentibus, per tributarios tam nostros Regales, & Reginales, quam Regnicolarum & aliorum, propria cupiditate, nullo ad Dei timorē, aut æquitatem habito respectu allectos, illata fore hactenus, ferventiorique aviditate dietenus irrogari, experientia teste, nostra cognovit celsitudo. Ideo præsenti sanctione decrevimus, quod in singulis Comitatibus Regni nostri, tempore celebrationis generalium congregationum palatinalium, per Palatinos, pro tempore, constitutos, vel alias ex Regia deputatione celebrandarum, inquiratur à juratis assessoribus, hujusmodi congregationum

num numerus & locus, verorum tributorum, in ipſo Comitatu exigi ſolitorũ, & à dominis, ſeu poſſeſſoribus eorundem tributorum, petantur exhiberi literę primariæ inſtitutionis tributorũ eorundem, in quibus, ſi inventa fuerit quantitas ſolvendi tributi de ſingulis rebus ſolvi conſuetis, talis ſolutio moderetur & reducatur ad rationem præſentis monetæ, taliter, quod tributariorum, ſeu tributa habentium juſti proventus non decreſcant, nec è contrario ſolutionis modus, in onus tributa ſolvere debentium, ſupercreſcat.

ART. XXIII.

De moderandis tributorum, ſive Teloniorum ſolutionibus: Et viarum falſarum prohibitio.

Ubicunque autem hujuſmodi literæ primariæ inſtitutionis tributorum reperiri, & exhiberi non poterint, aut repertæ forſitan & exhibitæ, quantitatem tributi ſolvendi non expreſſerint, tunc à prædictis juratis aſſeſſoribus dictæ congregationis ſimiliter inquiratur, & reſciatur quantitas ſolutionis tributorum, in quibuſvis tributis ipſius Comitatus, de ſingulis rebus tributari ſolitis. tempore antiquiori, quod humana memoria comprehendere poteſt, fieri conſuetæ, & re-

trahantur ad consuetudinem antiquam, compensata qualitate, quantum justius fieri poterit, pecuniæ tunc currentis, semper absque damno & detrimento tributa exigere & solvere debentium, æquitate videlicet utriusq; partis semper salva. Similiter inquiratur, discutiatur, & moderetur, quæ, & ubi sint falsæ viæ, & & indirectæ quorumlibet tributorum, & quantum longe, vel propè hujusmodi vias falsas singuli tributarii obsidendi, ac itinerantes in eisdem prohibendi, vel impediendi, justam & consuetudinariam habuerint, vel habere debeant, facultatem. Vias autem novas in locis, quibus viæ ab olim nunquam haberi consueverunt, nemo, pro communi & universali transitu itinerantium, in detrimentum & damnum tributorum vicinorum, in faciebus suarum terrarũ adinvenire præsumat: Alioquin de hujusmodi viis noviter adinventis, in prædictis congregationibus generalibus, juxta affirmationem juratorum assessorum hujusmodi congregationum, decernatur, an pro falsis viis reputandæ sint, vel aliter restringendæ & moderandæ. Habentes insuper & exigentes tributa ratione pontis, vel navium: pontes hujusmodi, aut naves, sub debita reformatione semper studeát conservare, taliter, quod viatores, & tri-

buta ſolventes, abſque impedimento per pontes, & naves eorum tranſitum liberum, & non impeditum facere poſſint. Id verò facere negligentes, pœnis & gravaminibus opportunis, ad debitam reformationem & conſervationem ſuorum pontium & navium, in dictis congregationibus promulgandam, per Comites eorum parochiales aſtringantur, toties, quoties, eorum negligentia exigente, fuerit opportunum.

ART. XXIV.

Infideles ad Caſtra dominorum non accceptentur, officiales finitimi, fures & latrones recipere poterunt.

POSTREMO, antiquam Regni noſtri conſuetudinem, præſenti dicto confirmantes, de Prælatorum, Baronum, & Nobilium Regni noſtri approbatione, communiter ſtabilimus & ordinamus, quod nullus Prælatorum, Baronum, Nobilium, & Regnicolarum noſtrorum, cujuſcunque ſtatus, dignitatis & conditionis exiſtat, quoſcunque infideles manifeſtos noſtros, & Coronæ noſtræ, ac Regni noſtri, nec non publicos fures, latrones & malefactores, præſertim in congregationibus generalibus proſcriptos, in ſuis caſtris, domibus, bonis & poſſeſſionibus retinere,

hospitare, & conservare, aut eis auxiliũ, hospitalitatem, & favorem impendere præsumant: sub pœna consimilis infidelitatis, aut furum & latronum hospitalitatis. Excepto, quod fures, latrones, & alios malefactores in congregationibus generalibus proscriptos, demptis infidelibus, Barones & Castellani nostri, in confiniis Regni, Castra & fortalitia, ac officiolatus & honores, pro defensione confiniorum tenentes, usque tempus acquirendæ gratiæ, poterunt in hujusmodi Castris & fortalitiis metalibus receptare & retinere. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam, præsentes concessimus literas nostras privilegiales, pẽdentis authẽtici sigilli nostri duplicis, quo pro nunc, uti Rex Hungariæ utimur, muniminne roboratas. Datum Posonii per manus Venerabilis domini Matthiæ Gatholocz, Præpositi Ecclesiæ Quinqueecclesien. aulæ nostræ summi Cancellarii, fidelis nostri dilecti, Anno Domini, Millesimo, Quadringentesimo, Trigesimo quinto, Octavo Idus Martii: Regnorum nostrorum Anno Hungariæ, &c. Quadragesimo octavo, Romanorum vigesimo quinto, Bohemiæ decimo quinto, Imperii verò secundo. Venerabilibus in Christo patribus dominis, Georgio Strigonien. Ioanne Colocensi & Ba-

chiensi,

chienſi, Canonice unitarum, Dionyſio Spalatenſi, Archiepiſcopis, Zadienſe ſede vacante, Petro de Rozgon Agrienſi, Varadienſe ſede vacante, Georgio Lepes Tranſylvanienſi, Zagrabienſe ſede vacante, Georgio Nitrienſi, Chanadienſe ſede vacante, Emerico Quinqueeccleſienſi, Simone de jam dicta Rozgon, Veſprimienſi; Clemente Iaurienſi Vacienſe ſede vacante, Iacobo Sirmienſi, Ioſeph Boſnenſi, Ioanne Tininienſi, Vito Corbanienſi, Ioanne de dominis Segnienſi, Eccleſiarum Epiſcopis, Eccleſias Dei fæliciter gubernantibus: Sibinicenſe, Nonenſe, Scardonenſe, Tragurienſe, Makarenſe & Pharenſe, ſedibus vacantibus. ITEM MAGNIFICIS, Matthijwſs de Palocz prædicti Regni noſtri Hungariæ Palatino, Spectabili & Magnifico Hermáno Giliæ & Zagoriæ Comite, ſocero noſtro chariſſimo, totius Regni noſtri Sclavoniæ, Bano, Comite Stephano, de Bathor, Iudice curiæ noſtræ, Ladiſlao de Chak, Waywoda noſtro Tranſylvaniẽſi, Ioanne & Stephano Weghle, Segniæ & Modruſę Comitibus, Regnorum noſtrorum Dalmatiæ & Croatię prædictorum, Deſew & Ladiſlao de Gara, Machoviẽ. Nicolao de Radnijch Crucifero ordinis Prutenorum Zeurinien. Banis, Ioanne de ſæpedicta Rozgon Thavernicorum,

Emerico filio Nicolai Waywode de Marczalii Ianitorum, Ioanne & Stephano de Peren, Dapiferorum, Paulo & Ioanne Kompolth de Nava, Pincernarum, Laurentio de Hedervara, Agasonũ nostrorũ Magistris, ac Stephano & Georgio de antelata Rozgon, Comitibus nostris Posonienfibus, aliisque quam pluribus, Regni nostri Comitatus tenentibus & honores.

X.
DE STATU MILITARI HUNGARORUM.

NUnc ad Formam Militarem venio, quæ horridum sagum suum promptè offert. Ego accipio; & sermonem una vestemque mutans, non ut confidens miles, sed homo ûmbraticus levi & brevi velitatione

——— *calamis & lingua pugnaturus.*

Coadunatur autem Armata Multitudo per Civium & Sociorum Legiones. Domestici milites sive Cives sunt Hungari, qui reverentia nominis, Gentium qui sub S.Corona & Regibus Hungariæ vivunt, animose objiciunt se mucronibus insidiantium, & in prælio acriter & alacriter summa & majori charitate pro aris & focis,

focis,pro conjugibus & liberis, pro dulcissima denique Patria dimicant: quam Externi qui non fide, non affectu tenentur, sed mercede & pecunia venalem sanguinem habent,

Venalesque manus ——

Nec hosti sed hospitibus tantũ metuendi, & in rusticorum gallinaria egregiam pugnam edituri. Præ cæteris tamen nationibus fidelissimi Germani, sociis suis finitimis & confœderatis pro fide & salute viriliter & strenue ex more gentis auxiliantur & ad omnes fere motus Turcicos primi præsto sunt. Legio versatur in Nomine & Numero Personarum. Nomine Latino usitato Hungaris dicitur vel Banderium Regale vel Banderium simplex. Sub Banderio Regali mille equites armati teneri consueverunt, Hungaris Egy Zászlo állya. De Simplici numero Personarum ordinatum, quod sub unoquoq; Banderio integro, quadringenti, sub medio verò ducenti homines exercituantes &c. Inter hos sunt Principes & Milites. Principes duplici discrimine Duces Primarii & Secundarii. Primarius post Regẽ in Expeditione Generali est Palatinus Generalis & Supremus Capitaneus Regni & Regnicolarum, & illos gubernat, juxta tamen voluntatem & arbitrium Regiæ Celsitudinis. Secundarii Locum tenentes,

tes, Capitanei Castellani, Provisores, Centuriones & Decuriones. Pro insigni præter morem aliarum gentium apprime soli. Duces Hungarorum delectantur, Cambuca, Clava ferrea, aliis Cucuma, Bozoganii. Quod belli instrumentum magis ad cogendos ordines, quam hostis arma perfringenda accommodatũ, Gaspar Ens opinatur. Decuriones ferunt Sarissam sive Hastam Velitarem.

Milites legitimi dupliciter fiunt: Discrimine & dilectu.

Discrimine iterum duplices: Equites & Pedites. Equis malunt quam pedibus prælium inire. Et hi sunt vel armigeri &c. vel levis armaturæ, vulgo Huszarones nuncupati. Olim illorum arma erant Iacula, quæ proprie Hunnis attribuunt Ammianus, Sidonius, Iornandes, & alii plures. Hungaris Regino, Luithprandus & alii. Idem quoque Hunnis bellandi mos erat laqueos jacere. De Hungaris Christianis *Otto Phrisingensis:* Omnes pene tetri, tetris in armis procedunt &c. Quæ sunt lancea, sagaris sive gladius Persicus, ad lævam sub dextro femore verutum ephippio alligatum: pleriquẽ insuper siphunculum tormẽtarium theca reconditum habent. Splendidum illorum apparatum & armaturam *Stephanus Vinandus in Hercule Prodico in Rudolphi Coronatione Hun-*

ne Hungarica hoc modò delineavit: Rex Rudolphus &c. illustrium turmas aliquot instructissimas secum trahens; Attilæ provinciarum domitoris victrices copias repræsentare videbantur armis, atque vestitu. Equorū nobilium colores, atq; picturæ variæ; gemmis, auroq; nitentes phaleræ. Martiorum hominum apparatus Scythicus, feri vultus, capita in verticem usque rasa; virgatæ tunicæ, thoraces, & loricæ bilices, trilicesve clavis aureis, argenteisq; distinctæ: Ithyræi arcus inaurati, & encausto picti: nec non omissæ sagittis pharetræ cocco, purpura, pellibusque peregrinis ac raris tectæ & ornatæ, lanceæ coloribus variis depictæ: item ex ferro fabricatæ clavæ, malleiq; ponderosi atque inaurati, spectantium oculos satiare non poterant. Atque inter cætera generosæ nobilitatis militatisque virtutis insignia prçeminebant expensę aquilarum alæ ingentes vastis clypeis inhærentes vel auratis galeis impositæ: vetustum decus nobilis apud Hungaros familiæ, & præcipua fortitudinis bellicæ apud posteros insignia. Maxima cum his habentur victoriæ præmia, ac veluti laureæ quædam eximię pro singulis occisorum hostium capitibus ex acie relatis singulas aquilarum pennas accipere atq; eas crebris victoriis multiplicare. Gloriosum plurimas clypeis cassi-

dibusve affixas, aut è lanceis, hastilibusve dependentes referre in prælium: pulchrũ est easdem per castra atq; urbes in capite gestare, immo etiam cute perforata temporibus ac fronti propriæ infixas ostendere posse. hæc ille. Pedites vulgò Haydones, quos & liberos vocant. qui in confiniis Turcicis pacis tempore morari solent. *art.* 23. *Ferdinand. I. Poson.* M. D. LXIII. Nec galea nec lorica utuntur, vestitu parum à rusticis differunt: arma illis sclopus manuarius, aut si is desit, hasta velitaris, sagaris, & à cingulo dependens securis &c.

Armorum nomina Hungarica hæc sunt. Lancea, Koplya. Acinaces, Szablya, Tór, Kard. Machæra in mucronem rectũ desinens, Pallos. in acuminatum, Hegyestór. Sagitta, Nyil. Pharetra, Tegez, Arcus, Kezii. Securis, Balta. Sclopus, Buska. Vncinus, Hamus, Szakany; hujus instrumenti hastile ligneum est cuspide ferreo & adunco, fortis temperaturę. Propria olim Gothorum arma quę falcata & uncata erant. Sidon. epist. 20. l. 4. Lancea uncata, aliis, Hamata, Vncinata tela; quidá Runcinum Gothicum, Falcastrũ vocant, videatur *Savaro in Sidonii. d. l.* Cestus, Fustis, Bot. Dilectu milites sunt Ordinarii & Subsidiarii. Ordinarii assiduè in Fortalitiis & limitibus sive Metis Regni, cõ-

tra Turcas & alios hostes Hungariæ oppositi ex munere & arte militant. Numerum tempore Matthiæ I. & Vladislai II. complexus est Sambucus sub Salariatu Regni Vngariæ contra hostes, annuo &c. insertus Historiæ Bonfinii. Sed quid hic ad hodiernum? definiri vix potest, quia in omni momento pendet à tempore & magnitudine periculi. Ad Ordinarios pertinet Legio Nigra Matthiæ I. de qua Sambucus in appendice ad Ransanum. Subsidiarii sunt Prælati, Barones, Proceres, Nobiles & alii Possessionati, qui omnes in Generali expeditione, Banderiis Copiis & Militibus suis &c. Regi militant, non serviunt, *S. Steph.* 1. *c.* 4. Ac cum Rege extra Regnum ire nõ tenentur, nisi pro pecunia ipsius qui Comitatus habẽt, *Andreæ II. art.* 7. nec ad Castra Rege nõ existente prius in illis. Hinc tempore Ludovici II. ex his, quidam intempestive admodum privilegia sua allegarunt, quibus cautum esset ne Barones aliter quã sub vexillis Regis militare cogantur. Ad quod Rex in frequenti Senatu, ubi de hoc agebatur, subito in iram versus, video (inquit) ego unumquemque capite meo (verba enim Regis sicut fuerant ita ponamus) excusationem & salutem capiti suo quærere. Ego personam & caput meum ideo in hæc pericula adduxi,

duxi, ut illud pro hujus regni & vestra salute, omni fortunæ discrimini objicerem. Ne quis igitur sit, qui possit excusationem aliquam suæ ignaviæ capite meo prætendere, neve possit aliquid mihi imputari: ibo ego, Deo Opt. Max. benè juvante, cras vobiscum in persona eo, quo aliis sine me ire nolunt. Qui Proceres Banderia Regalia, integra & media instruere tenentur: reliqui Nobiles à centum colonis decem equites. Sed qui decem colonos non habent, ii simul conferunt, ut is numerus compleatur. Idem de aliis Possessionatis capiendum. Numero olim quidē Attilæ exercitus quingentorum millium esse ferebatur. Et Christianos Reges è solo Hungariæ Regno sexaginta equitum millia in aciem quondam educi potuisse ajunt. Ex Transylvania juxta communem supputationem ad nonaginta & amplius millia armatorum. Hinc avorum memoria cum adversus Grittum conjurarent, vindicandamq; armis Emerici Ciebachi Antistitis Varadiensis mortem decernerent: nunquā ullæ gentes pro salute sua & pro publica dignitate ad propulsandam injuriam, vel intentiore studio, vel graviore impetu, vel majore celeritate ad arma concurrerunt. Paucis enim diebus supra quadraginta millia peditum & equitum

coivere

coivere, &c. Quid? Solum Siculorum numerum ſupra ſexaginta millia eſſe ferunt. Iuſſi verô in bella exire niſi pareant, capitali pœna plectuntur, bona fiſco applicantur. Idem quoque Waywoda Moldaviæ, &c. generali habito dilectu, ad ſexaginta millia equitum & peditum exercituum conſcribere potuit, Hodie quot colligi poſſunt, civilia bella docuerunt. Et hæc de Armata multitudine.

Continebatur autem olim in robore & virtute diſciplina Militaris, quæ eſt vel Communis vel Particularis. De communi ſcientia ſive diſciplina, Matthias ille Hunniade Rex Pãnoniæ, quo nemo à multis ſeculis melior, prudentior, militia clarior aut felicior, & addam veterum rerum (inter Principes quidem) doctior fuit, palam ita ſententiam tulit. In corona illuſtrium hominum coram ipſo ſermo erat de præſtantia noſtri ævi, & artibus ac machinis bellicis, plerique omnes veteri anteferebant. Ille autem renidenti ore, Si centeſimam partem antiquæ militiæ ætas noſtra teneret, & diſciplinam haberemus illi parem, profectò Turcarum iſtud regnum non fuiſſet tam longè latèque diffuſum. Nec tamen antiquitatem nuncupo, quæ quingentis aut ſexcentis annis continetur: ſed Roma-

norum illud ævum aspicio, quod cum aliis belli artibus, tum & machinis & tormentis præclare fuit instructum. Particularis est in Exercitio & Coercitione. Exercitium versatur in Vsu & Ordine. Vsus in Armatis & Moribus Castrensibus. Vsu armorum Hungari quidem soli fere hac tempestate cum Turcis pugnare noverunt: eo quod insito quodam odio quotidianis prope præliis cum his contendunt, maximoque ob id ipsum illis terrori sunt. Proindè quod *Phil. Callimachus in orat. ad. Innocentium* VIII. *Pontif. de armis Turcorum dicit*, idem de Hungarorum nec pervulgata quæque, ac nota recensebo. Ante omnia enim cum feriendi duplex sit ratio, quippe quod vulnus aut punctim impingitur, aut cæsim infertur; Punctim, Eminus & Cominus. Eminus, Arcu & Sclopis. In arcu quamdiu ab seipsis non degeneraverant, nonnihil momenti fuit. A principio enim non decoris, & non habilitatis, sed terrendi, ac sauciandi hostis ratio in omni armorum genere habebatur, atque ideò sagittæ graves & prælongæ, arcus vero amplitudine & robore tali fiebant, ut aspectu terrerent contuentes, & facile telorum pondus ac proceritatem ferrent, repræsentat hæc Icon Hunni Antiqui. Nunc verò per ambitionem decoris, omnia

omnia commutata, atque adeo velut in mollitiem corrupta, ut non fortium virorum, ac militum tela, sed puerorum ludicra videantur: Effectus antiqui & hodierni defectus Causam lege in *Io. Barclai Icone Animorum cap. 9.* Vsque adeò scilicet, eheu! Sagittarum usus neglectus hodiè

Multis pro vili, sub pedibusque jacet.
qui olim proprius Hunnorum & formidabilis orbi fuerat, ut alias fusius explicaturus sum. Sclopetorum hanc formam in fictitiis militibus commendat *Thomas Campanella* de Reipublicæ Idea: Equites, &c. duas ex ephippiis pendētes pistolas, validæ temperaturæ; angustas in orificio magis; qua de re penetrant omnem ferream armaturam. Cominus; Lancea, Veruto, Vncino, pugnant. Lanceis sive hastis non eodem ordine & in Hungaria, & Italia concurritur. Ibi enim non nisi cuspidatis conditis: hîc verò sæpe inermi hasta pugnatur. Sed in Italia concitato & currente; in Hungaria verò succussando, & non plenè currente equo certatur, Veruto mucrone acuminato, in persequendo hoste utuntur. Vncino quocunque libet, maximè autem contra gravis armaturæ equites, quo perforant loricam & thoracé squamatum, equitemque detrahunt & de equo dejiciunt. Cæ-

ſim ſecant vel batuant adverſarios. Acinaces, Parazonia & Secures, ſecandi facultatem præbent. Acinaces enim ne punctim feriant, ſupini recurvi ſunt, & mucro in dorſum ſuum retroactus, cæſim vero, ſi dimittantur: propter quod non velut in gladiis aliarum gentium, latitudo ferri à manubrio paulatim detenuatur in acumen, ſed contra, qua tenentur, propemodum acuti ſunt, qua vero feriunt, latiſſimi, & carent capuli libramento, elevari ſurſum, & ad geminandum ictum recolligi non poſſunt. Atque ideo, quod fieri arte quadam nonnulli putant, Turci, quandoquidem gladius in dorſum falcatus, & in mucronem actus, ac præponderans, neque infigi cominus, neque referri ſurſum queat, ſi abſque vulnere in vanum deciderit, neceſſario coguntur, inſolito more rejecto brachio in adverſum cęſim ferire. In quo genere ictus, quia contra ac nituntur nervi, intétatur, nullus omnino gravis impetus eſſe poteſt. Hæc Callimachus de Turcis, contra quos peritè & ſtrenue dirigere ſciunt Hungari ſua Sablya, Pallos & Balta. Et ſi his prædictis armis nequeat ferrea armatura hoſtilis perforari; ſtrenuiſſimi Hungarorum aggrediuntur hoſté Clava, ſicut Achilles Cygnum: & conquatiunt, dejiciuntque batuando. Ac ſi in hunc

uſum

usum cedit Bozogany. Cestus sive Fustis comes est Rusticorum ut quibus arma interdicta sunt in Decretis & Constitutionibus Regni. Sed nimis multa de armorum usu, quibus hostem soleant convulnerare Hungari, quibus se muniant autem à vulneribus, alio tempore.

Nunc de moribus *Bonfinius* loquitur: Aliquandiu in castris diversatus, &c. Nusquam gentium milites spectare licuit caloris, & frigoris, item laboris & inediæ tolerantiores, qui studiosius imperata faciant, lubentius dato signo pugnam ineant, se morti promptius exponant, item qui militarem seditionem magis detestentur: in castris quietius honestiusque vivant, sese religiosius agant, tumultus magis abominentur & rixas, colant avidius temperantiam & castitatem: & ab omni blasphemia perjuria illegitimaque venere, sint magis alieni. Maxima pars equitum quibus uxores sint, & liberi, triennium quandoque assiduo militare coacta, nunquam cõjugii fidem violasse creditur. Si quis cum scorto deprehensus est, perpetua sugillatur infamia. Fortitudinis & patientiæ sunt plus quam Lacedæmoniæ. Hyeme juxta atque æstate castra frequentantur. Et quod meis hisce oculis sæpe vidi, sub nivibus ac terra ne obsidionem deserant institutam toleran-

leranter hybernant. Vndè murium sæpe more prodeunt stationibus, totam noctem, tesserariorum jussu, equites adsunt: neq; loco moventur, neq; de rigenti algore queruntur. Et quamvis plerisque membra vesaniente frigore obstupescant, invicto tamen animo cuncta patiuntur. liberos in castris alunt, ibique militaribus studiis informant. Ex quo fit ut gens Vngarica bello aspera, ita instituta sit. Ordo est ante & in Congressu cum hoste. Ante Pugnam in loco accommodo & præsertim camposo, quia equitatu gaudent, instituunt aciem per Numerum & Figuram. Numero aciem variant simplici, duplici, triplici, quadruplici, &c. Sic acies Ludovici II. in latissimis & patentissimis illis campis Mohaczio subjectis in duo agmina divisa est, &c. Idem de pugna Ioannis Hunniadis cum Turca in Campo Merula: Ordinatæ sunt per dominum Gubernatorem omni sua de gente, quam ducebat, acies octo & triginta, &c. Huc adde ex Iornande Prælium Attilæ in Campis Catalaunicis. Iuxta Figuram acies cuneata, rotunda, quadrata est, &c. De Hunnis *Ammianus*: Et ineuntes prælia cuneatim variis vocibus sonantibus torvum. Rotunda forma ordine primo quandoque acies undique curribus catenatis vallatur & cingitur.

Sic

Sic de Attila *Iornandes:* Se ſuosque intra ſepta caſtrorum, quæ plauſtris vallata habebat, recluſit, &c. Idem de acie Ludovici II. *Prodericus.* Figura Cuneata aut Quadrata & alia, à fronte & tergo, dextris & ſiniſtris equites & pedites per gentes & nationes diviſi ſunt. Iornandes de Attilæ prælio: Cornua ejus multiplices populi & diverſæ nationes, quæ ditioni ſuæ ſubdiderat ambiebant. Vſitato autem more in agmine præcipuo, quam aciem Statariam appellamus; Regem in medio ſtatuunt cum flore & robore bellatorum ſuorum ſeptũ, quem de more volunt prælio intereſſe. Sic in campis Catalaunicis fuit Hunnorum acies ordinata, ut in medio Attila cum ſuis fortiſſimis locaretur; ſibi potius Rex hac ordinatione proſpiciens, quatenus inter gentis ſuæ robur poſitus, ab immani periculo redderetur exemptus: Idem de acie Ludovici II. *Prodericus & Iſthvanfi.* Itaque in prælio exiſtentem ex pervetuſta conſuetudine Nobiles Hungariæ communiunt Regem circumquaque, ſuntque Regi pro muro inexpugnabili, ut de Colomani Regis prælio cum Cunis & Rutenis commiſſo ſcribit Thvvroczius, & alii de aliis. In eodem agmine non procul à Rege, Regale Signum: videlicet Ingens vexillum Divæ

 Virgi-

Virginis Mariæ imagine deaurata conspiciendum, à Iudice Curiæ, de quo superius retulimus sustinetur: cui de veteri more calcaria detrahuntur, eo scilicet monimento, ne de fuga cogitaret. Mox congressuri cum hoste, Palatinus Regem ex loco designato per universum exercitum circumducit: ibi eum præsentem omnibus manu ostentans, concionabundus paratum dicit omnia extrema & mortem ejus pro Patria, pro Sacra Christi Dei Opt. Max. religione, pro conjugibus & liberis eorum, &c. Hæc & alia talia cum Palatinus & simul etiam Rex, omnibus ordinibus obequitatis, commemorassent: Rex locum & ordinem suum repetit, &c. ac galeam poscit, ut capiti imponeretur. Attolli signa Vocalia & Muta imperat. Vocalia & Naturalia & Instrumentalia sunt, quibus suos milites ad pugnandum incitat, & hosteis provocat. Naturali sonitu exoritur clamor vel cantus potius IESU SALVATORIS nomen invocantium de more, Olim clamabant ter DEUS, &c. Instrumentalia cum clangore inflantur, ut sunt Tubæ, Modi, Tibiæ. Quarum duplex ratio: Dorica & Ionica, de quibus *Scaliger in arte Poëtica:* Dorica Vetus, magnifica, sublimis, gravis, contenta, nihil habuit fusum, nihil so-

lutum,

lutum, nihil hilare, nihil molle: sed plenum, vehemens, paucis modicisque flexibus, bellicis conveniens numeris & motibus. Pannonium & Getarum Scytharumque nostris etiam temporibus talem audivimus in Dalmatia & Transylvania & Mysia superiore, hæc ille. Cum sonitu reboant & pulsantur Tympana, Hũgaris Dob, Austriis *Heerbaucken*, aliis *Kesseldrumel.* Muta Signa, quæ in Congressu Hungaros animosos ducunt & dirigunt, timidos à fuga solo intuitu & aspectu sistunt; sunt Aquilæ, Dracones, Vexilla. Olim Attila in Vexillis coronatam ferebat Aquilam, &c. Hodiè imaginem Salvatoris nostri IESU CHRISTI, & D. Mariæ, &c. Dracones Sidonius Hunnis & Isauris tribuit, Carm. 2. vers. 234.

Desiit hostiles confestim horrere dracones. Vt Carm. 5. vers. 410. Vandalis, ad quod Savarro. Hodierna Vexilla Hungarorum, ad similitudinem aliarum nationum fere accedunt. Inusitatissimum verò vexillum Dionysii Ducis Hungarorum ante aliquot sæcula descripsit *Nicetas Choniates lib.* 5. in Manuele Comneno Imp. Græcorum: Vexillum ejus in crassa & alta trabe, quam rotis impositam quatuor juga boum trahebant, sublime à ventis agitabatur, &c. Turmatim

confligunt non tamen toto agmine; Nam qui à fronte pugnant, nullo certo loco permanent, ſed ubi neceſſitas illos poſtulaverit. Agmen verò noviſſimum & quod in ſubſidium eſt, Statarium eſt, ut obſervare licet in acie Ludovici II. Regis. Sic Matthiæ I. Regis Legio ſive Turma Nigra, non tumultuario prælio, ſed ſtatario vincere conſuevit. Atque indè Hungari in congreſſu eà præditi ſunt audaciâ, ut nihil magis ignominioſum apud ipſos ſit, quam aut locum relinquere, aut tergo vulnus accipere. Cum olim Hunni Statariâ quidem pugna prorſus neque poterant, neque norant hoſtem adgredi. Coercitio eſt in Conſtitutionibus & Decretis Regum comprehenſa. Et hæc de Generali Expeditione: de Particulari loquitur art. 22. Poſon. M.D.LVI. Atque ſic diſpoſitio Cauſæ Formalis erit.

Sequitur, quæ ultima Regni perfectio eſt. Communiter Finis cujuſque Imperii, gloria Dei, & ſalus ſubditorum.

ARTICVLI

Omnium Statuum & Ordinum


HUNGARIÆ

ANNO cIↃ IↃ C III.

Posonii conclusi.

ART. I.

Præfatio, in qua Status & Ordines Regni, pro paterna & pia, quam de illis gerit, cura & sollicitudine, Majestati suæ Cæsareæ maximas gratias demissè agunt, illamque continuari petunt.



EA, quæ sacra Cæsarea Regiaque Majestas, dominus noster clementissimus, per Serenissimum Archiducem Austriæ, Maximilianum Ernestum, dominum itidem nostrum benignum Statibus & Ordinibus hujus regni Hungariæ, peculiari suo scripto, sub præsenti Diæta, clementer proponi fecit, iidem Status & Ordines Regni, humillimè intellexerunt. Ac imprimis suæ Majestati, pro paterna sua cura, quam hactenus in hoc Regnum habuit, ac se in posterum quoque habituram significasti-

gnificat, quas possunt, habent aguntque gratias, petentes à sua Majestate quàm humillimè, dignetur de sua, erga fideles suos veteri clementia & pia sollicitudine, nihil remittere, sed quod è re tùm eorum, tùm etiam totius Christianitatis fuerit, ultrò semper & continuò præstare. Illud verò quod sua Majestas, de suo patruele, Serenissimo, Archiduce Maximiliano Ernesto, annectit, ut nimirùm, præsenti Diætæ ejusque tractationi præsit, & in propositorum negotiis, sese Status & Ordines Regni, faciles demonstrent: Ea in re, propter causas, per suam Majestatem adjectas, perlubenter quidem acquiescunt suæ Majestatis benignæ postulationi atque commissioni; verumtamen, supplicant iterum atque iterum suæ Majestati, dignetur post tot tandem annos, in medium suorum fidelium venire, ac præsens, malis eorum subvenire. Quibus rectè mederi ita posse existimant; si sua Majestas ipsamet eorum querelas & gravamina intueri & audire possit.

ART.

ART. II.

Status & Ordines Regni, ad quædam Majestatis suæ Cæsareæ objecta, humiliter se excusando, respondent.

PRæterea, ubi sua Majestas Cæsarea, inter Propositionis Articulos, aliquot in locis, non obscurè omnem neglectarum rerum, & præsertim non exactæ Contributionis, ac oblati militis, non subministrationis causam, in ipsos Status & Ordines rejicere videtur; Scire suam Majestatem non dubitant, ipsos jam antea sæpe sæpius ob oculos suæ Majestati posuisse, omnem ejuscemodi negotiorum culpam, non aliam esse, nisi quod singulis annis, omnis eorum substantia & conditio diminuitur, & ex continua belli mole, in dies in peiorem statum deveniant, ac post oblata subsidia, partim militum insolentia, partim verò hostium excursionibus opprimantur, & sic numero quoque domorum connumeratarum, destituantur. Et licet hæc natio, variis calamitatibus sit, & anteà quoque ab initio fuerit, obnoxia: sperant tamen Status & Ordines Regni, jam dudum suæ Majestati benè constare, quàm diu florentiores fuerunt, se semper pro voluntate suæ Majestatis, & pro salute ac permansione

patriæ,

patriæ, nihil, neque de constantia atque fide, neque de substantiarum suarum ultranea subministratione, intermisisse, sed omnibus viribus, in omnibus occasionibus, patrio more, vestigia majorum suorum secutos esse. Quod certe posthac quoque tam libenter, quam quod libentissime sunt facturi, pro omni eorum possibilitate, quam diu vixerint, & vel unicus eorũ superstes fuerit, dummodo benigna etiam eorum ratio habeatur, & nimia licentia militari non aggraventur.

ART. III.

Subsidium pro militum intertentione, anno præterito decretum, hoc quoque anno per Status Regni offertur, in duobus terminis exigendum. deque exactionis modo, & Generalibus ac particularibus ejusdem Perceptoribus, & de ipsorum Salario.

QVod autem concernit eum Articulum, de militis in Campũ expediendi postulatione. Vellent quidem Status, & certè ex animo cuperent, si non decem tantum hominum millia in campum expedire possent, sed & longè majorem numerum: verum jam novit sua Majestas, quam extenuatas vires hæ Regni reliquiæ habeant, & quam sit incertũ & difficile, etiam minima decreta subsidia à co-

à colonis exigere. Nihilominus tamen offerunt humillime Contributionem anni proxime elapsi, nimirum, de qualibet domo Coloniali atque Inquilinati, (miserabilibus personis, allodiisque & educillorum locis, exceptis.) præcedente sine fraude, propter combustas & per hostem militesque desolatas àc deprædatas domos, more solito fienda rectificatione, singulos centum & quinquaginta denarios. Quibus domini terrestres, loco generalis Insurrectionis, quinquaginta denarios superaddent. Ita tamen, ut pauperiores subditos, ditiores sublevent. Hæc vero Contributio exigatur, tam ex Magnatũ & Nobilium omnium, etiam eorum, quorum bona nunc Vngariæ restituta sunt, quam Ecclesiasticarum personarum omnium, ac suæ etiam Majestatis Secularibus & Spiritualibus bonis, nullis exceptis: ac huic subsidio accedat quoque Taxa earum personarum omnium, de quibus in prætacti anni proxime elapsi Constitutionibus mentio fit, eo plane modo & ordine exigenda, sicut id ibidem significatum est. Cujus quidem subsidii medietas, exigetur ad proximum festum Sacri Pentecostes, altera autem, ad festum beati Iacobi Apostoli, per particularem cujuslibet Comitatus Perceptorem,

ptorem, qui ipsam exactam pecuniam, tribus generalibus Perceptoribus assignabunt. Quorum unus, pro Vltradanubianis partibus, dominus Ladislaus Ioô nominatur, alter pro Cisdanubianis, Dominus Balthasar Bossanii, tertius autem, pro superiore Hungaria, Dominus Georgius Kekedii, decernuntur: Hi verò illam in milites noviter pro Campo conducendos, erogabunt, ac diligenter cavebunt, ne illa in ullos alios usus, quàm tantum ad solutionem Campestris militis, convertatur, justam de ea, in proximis Regni Comitiis, rationem Statibus reddituri. Quorum quidem generalium Perceptorem salarium erit, in universum, ut anno proximæ elapso, exceptis Equitibus, ideò quod justæ eis expensæ, quas facturi sunt, postmodum in dandis rationibus admittentur. Particulares autem Perceptores in Comitatibus, erunt ipsimet Vicecomites, aut Vicecomitibus id oneris assumere nolentibus, quos ipsimet Comitatus elegerint, cum eo salario, quod Dicatoribus dari consuetum est: Habeant quoque Iudices Nobilium suum solitum salarium.

ART.

ART. IV.

De accipienda jam statim à Perceptoribus anni præteriti, ratione, & quinam Exactores illarum esse debeant.

STatutum prætereà est hoc loco, per Status & Ordines Regni, ut à dominis Perceptoribus generalibus & particularibus, anni proxime elapsi, nunc statim ratio accipiatur percepti & erogati. Qui, si quas restantias apud se habuerint, ad manus Perceptorum præsentis anni tradant, qui eas ad conductionem militis præsentis anni, convertant. Exactores vero Rationum, Vltra-danubiani erunt, Reverendissimus Dominus Boznensis Episcopus, cum domino Emerico Megieri Cisdanubium, Reverendissimus dominus Episcopus Vaciensis, cum domino Thoma Wyzkelethii: pro superiore Hungaria, Reverendissimus dominus Quinqueecclesiensis, cum domino Gregorio Tirnaviensi.

ART. V.

De modo condocendi Campestrem militem Hungarum, & per quos conduci & Lustra statui debeat,

PRæterea, præmissos milites Campestres, in his inferioribus Regni parti-

bus, domini supremi Regni Capitanei Hungari: in superiore autem Hungaria, Magnificus dominus Valentinus Homonnaii, si suæ Majestati Cæsareæ ita videbitur, aut alius in Hungaria possessionatus, sua Majestas elegerit, conducet; qui has Copias, quotiescunque suæ Majestati, vel ejus Generali visum fuerit, ad lustrandũ statuent.

ART. VI.

De subsidii turbatoribus & detentoribus, Colonis dediticiis, de Sclavonia, & servitiorum desertoribus & aliis, præteriti anni Articuli renovati.

DE turbatoribus autem aut detentoribus hujusmodi Subsidii, renovatur Articulus sextus, anni proxime præcedentis. Renovantur quoque Articuli ibidem habiti, septimus & octavus, de dediticiis colonis, nec non de Sclavonia, ac de iis, qui non expleto anno, servitia deserunt, seque maioris lucri gratia, ad exteros conferunt. Contra eos vero, qui superioribus annis militem non miserunt, aut aliós similes excessus, in Constitutiones Regni admiserunt, utatur sua Majestas vigore ipsarum Constitutionũ, ac circa militiam delinquentes stipendiarios milites, puniat juxta ipsorum demerita.

ART.

ART. VII.

De stipendio militari, in quo statu relinqui debeat, deque generali & particulari Insurrectione.

PLacet quoque Statibus, ut sua Majestas Cæsarea atque Regia, stipendium militare, in eo statu relinquat, qui est anno Nonagesimo sexto, Articulo vigesimo declaratus. Similiter & de Insurrectione generali & particulari, in omnibus punctis, Articulo nono, anni proxime elapsi, inhærent.

ART. VIII.

Gratuiti labores quomodo præstandi, deque limitatione circa illos per Supremos Regni Capitaneos facienda, diligenter observanda.

DE Articulo gratuitorum laborum, referunt se ad Articulum decimum tertium, anni proxime elapsi; Supplicantes, dignetur sua Majestas, ob miseræ plebis paupertatem, ea oblatione clementer contenta esse, & serio demandare, ne miseri coloni, ad diversorum Confiniorum ædificationes & fortificationes distrahantur, sed limitatio observetur, quæ per dominos Supremos Regni Capitaneos, ascitis sibi aliquibus ex dominis Consiliariis, quam primum fieri debebit.

Solent enim Capitanei, unam eandemque villam, multis similibus laboribus aggravare, & pro libitu, ultra possibilitatem, in laboribus detinere, tam diu, donec multi eorum etiam fame interire debeant. Habeatur etiam ratio Arcium Simegh & Zegligeth,

ART. IX.

De gratuitorum laborum & aliorum subsidiorum restantiis, Anni præteriti Constitutiones servandæ, & Vicecomitum ratio habenda.

DE restantiis gratuitorum laborum, nec non aliorum publicorum Subsidiorum, eodem modo ad jam elapsi anni Constitutiones se referunt: hoc addentes, quod mirum videri non debet, si hæ restantiæ, ritè exigi non possint. Multæ enim villæ sunt his disturbiis desolatæ, & quamplurimi coloni, partim trucidati, partim autem in servitutem Turcicam abducti, & ab exteris etiam militibus, non secus ac si proprii essent, possidentur. Habeatur itaque ratio eorum Vicecomitum, qui justas assignabunt rationes, ob quas restantias recte exigere non potuerunt.

ART. X.

Circa Annonam & Vecturam Bombardarum & commeatus, curruumque & Iumentorum administrationem, quod Status Regni nihil præstare possint, sese humiliter excusant.

CÆterum, Annonam suæ Majestati promittere aut offerre quam possint, non vident. Nam quicquid ejusmodi his Regni reliquiis habitum est, totum insatiabilis miles absumpsit, ita ut multi incolarum mendicando nunc se miserrime sustentare cogantur. De vectura Bombardarum & Commeatus, nec non de curribus & jumentis dandis, haud dubie, si effrenata militis licentia non obstaret, ac omnia non illibenter id decernerent, quod partium ipsorum esset, sed etiamsi, quam maxime velint, nihil tamen prorsus decernere possunt, tam sunt omnibus jumentis omnique commeatu, per suæ Majestatis copias exhausti. Supplicant ergo humilime, ne eis vitio vertatur, si expectationi suæ Majestatis satisfacere non possint.

ART. XI.

De evectione frumenti, viarum reparatione, deque liberis Haidonibus & militibus, præteritorum Annorum Articulis insistitur.

ARticulos de evectione frumenti, nec non de reparationibus viarum, atque de liberis Haidonibus & militibus, præteritis annis, & singulariter anno proxime elapso sancitos, per totum admittunt, nec obstant, quo minus sua Majestas, in transgressores eorum Articulorũ, exemplum statuere dignetur.

ART. XII.

Status & Ordines Regni, nonnullos in Iudiciis & expeditionibus defectus, corrigi supplicant.

HOc loco Status & Ordines Regni, Majestati suæ Cæsareæ, domino ipsorum clementissimo, humilime supplicant, ut cum quãdoq; contingat, quod ad nonnullorum simplices delationes & expositiones, fideles suæ Majestatis, per mandata Regia, in præsentiam domini Locumtenentis vel Commissariorũ, evocantur, ac comparere & Privilegia sua producere, juraque accipere jubentur: dignetur Majestas sua Cæsarea, hujusmodi legibus Regni contrarias expeditiones & Iudi-

Iudicia, benigne interdicere, quod de ſua Majeſtate Cæſarea perpetuis ſtudiis promereri non omittent. Super hac re Majeſtas ſua Cæſarea benigne inquiret, eiq; pro hujus temporis ſtatu, quoad maxime fieri poterit, clementer medebitur.

ART. XIII.

Rectificationem metarum Regni, hoc adhuc anno, per Commiſſarios jam antea ad hoc nominatos, in effectum deduci, Status & Ordines demiſſe & ſedulo petunt.

ITem, quia jam aliquoties decretum eſſe novit ſua Majeſtas, ut differentiæ, quæ ratione metarum, inter hoc ſuæ Majeſtatis Regnum, ab una, parte vero ab altera, Auſtriam, Poloniam, Moraviam, Styriam ac Sileſiam, ab antiquo intercedunt, per commiſſarios revideantur & debito modo ſopiantur. Id tamen hactenus ad effectum deductum non eſt, ac in limitibus illis conſtituti Regnicolæ, plurimum conqueruntur, ſe à præfatis ſuis vicinis, multas injurias pati, & interim, dum ipſi circa Turcici belli negotia occupantur, ab eiſdem vicinis, multas terras multaq; territoria ab hoc Regno avelli. Ideo ſupplicant Status & Ordines, dignetur ſua Majeſtas efficere, ut tandem adhuc præſenti anno, quatenus per motus

ART. XV.

Dominus Sigismundus à Landa, una cum duobus filiis suis, Georgio & Erasmo à Landa, in Hungarum recipitur.

ADmittunt demum clementem Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis requisitionem, pro parte Magnifici domini Sigismundi à Landa, ejusque duorum filiorum, Georgii & Erasmi, factam, ut nimirum in numerum ipsorum annumerentur, atque in Hungariæ Nobiles asciscantur. Qui solitum juramentum super officio boni & veri Civis Regni Hungariæ, vigesima quarta die mensis Martii, præsentis anni, deposuerunt.

CONCLVSIO.

NOs itaque præmissâ supplicatione fidelium subditorum nostrorum, dominorum, Prælatorum, Baronum, Magnatum & Nobilium, cæterorumque Statuum & Ordinum prælibati Regni nostri Hungariæ & partium ei subjectarum, clementer admissa, præfatos universos & singulos Articulos, nobis modo præmisso præsentatos, præsentibus literis nostris, de verbo ad verbum insertos & inscriptos, ac omnia & singula in eis

contéta, ratos gratos & accepta habentes, eisdem nostrũ Regium Consensum, benevolumque pariter & assensum præbuimus, ac illos & quævis in eis contenta, authoritate nostra Regia acceptavimus, approbavimus, roboravimus, & confirmavimus. Offerentes Nos clementer, quod præmissa omnia, in omnibus punctis, clausulis & articulis, tam nos ipsi observabimus quam per alios omnes fideles subditos nostros, cujuscunque status & conditionis existant, inviolabiliter observari faciemus. Imo acceptamus, approbamus, ratificamus & confirmamus, harum nostrarum vigore & testimonio literarum. Datum in Arce nostra Regia Pragensi, decima quinta die Mensis Aprilis. Anno Domini, Millesimo, Sexingentesimo tertio. Regnorum nostrorum, Romani vigesimo octavo, Hungariç & aliorum tricesimo primo, Bohemiæ vero, anno similiter vigesimo octavo.

FINIS.

Summa Privilegii.

Illustrium & Præpotentium D. D. Ordinum fœderatarum Belgiæ provinciarum decreto cautum est Bonaventuræ *&* Abrahamo Elseviriis, *Academiæ Leydensis typographis, Ne quis præter illorum aut hæredum voluntatem toto decennio proximo, his in regionibus excudat, aut alibi extra provincias excusum inferat vendatve librum hunc, cui titulus,* Respublica & Status REGNI HUNGARIAE. *Quod si quis contempta auctoritate; directe vel indirecte, librum hunc, totum, vel partem ejus, hoc sive alio modo, extra dictum temporis intervallum typis mandare, vel impressum alibi in has oras inferre & vendere præsumpserit: confiscatione exemplarium, mulctaque insuper sexcentorum florenorum damnas esto: uti latius patet in ipso privilegio, dato Hagæ in conventu D.D. Ordinum Generalium,* XV *Maji*, MDCXXVI.

G. V. HERTEVELT V^r.

Ad mandatum Præpotentium D. D. Ordinum General. ss.

I. van GOCH.

